Digitized by Google

Digitized by Google

10·4·180

Digitized by Google



F·I·A·M Roboredo D·D·D· *Carlo Gregori Scolpi Firen*

Digitized by Google

DISSERTATIONES
IN ISAIAM PROPHETAM
SIVE LUCERNÆ PROPHETICÆ
PARS ALTERA

In qua ad veterum Canticorum, & Divinæ Pſalmodiæ intelligentiam ſacræ, & profanæ eruditiones aſſeruntur.

Proponitur veluti in compendio tractatus D.Bonaventuræ de ſex Alis Seraphim, & notis copioſè exponitur. Agitur de SS.Trinitate contra Judæos, & de antiqua, & nova ſciendi methodo.

AUCTORE PATRE MAGISTRO

JULIO ANTON. MARIA ROBOREDO

LUSITANO

Ordinis Serv. B. M. V. Exprovinciali. In Florentina Univerſitate S. Scripturæ, & Controverſiarum Lectore. Equeſtris Ordin. Hjeroſolymitani Theologo. Sancti Officii Conſultore.

Sac. M. JOANNIS V. Portugalliæ, atq; Algarbiæ Regis &c. & Nationis Luſitanæ apud Regiam Etruriæ Aulam, a Negotiis.

FLORENTIÆ)(MDCCXXI.

Ex Typographia Michaelis Neſtenus.

SUPERIORIBUS PERMITTENTIBUS.

Digitized by Google

REGIÆ CELSITUDINI
COSMI III.
MAGNI ETRURIÆ DUCIS

FR. JULIUS ANTONIUS MARIA ROBOREDO.

PRodeunt ſub feliciſſimis auſpiciis Nominis tui, MAGNE COSME, Diſſertationes meæ in Iſaiam Prophetam, quæ non minus ſublimi Pietati, qua Solium adornas, quam Regiæ tuæ erga me Munificentiæ debentur. Novo quodam genere in ſummam gloriam veniunt, illi, quos Medicea Domus amat, ac protegit, ſub cujus præſidio omnium diſciplinarum cultores im-

mortalitatem nominis ſunt aſſecuti. Ego, qui plus cęteris debeo,& qui neque Sapientes rectè æmulari poſſum, neque hoc munuſculo meo ea tributa æquare, quæ Tibi ex toto terrarum Orbe a literaria Republica magnificè perſolvuntur, hoc cupio, ut Diſſertationes meæ,ampliſſima quibus me cumulaſti, beneficia teſtentur, & perenne ſint mei obſequii monumentum. Qui me Regia Munificentia excitaſti ut ſcriberem, ut ſtudia mea Typis darem:Regia Modeſtia juſſiſti, ut de tuis Heroicis Virtutibus tacerem, nec accepta beneficia commemorarem. Utrumque libenter exequor, cum utrumque me bene acturum diffiderem. Itaenim, MAGNE COSME, Te præſtas, Pietate, Prudentia, cæteriſq;excelſis animi Dotibus; ita beneficia diffundis, ut nemo aut Tibi dignas gratias referre, aut Te dignè laudare poſſit.Firmior eſt quocumq;ſcripto animus,in quo altè fixum,& tenaciter impreſſum eſt quidquid debeo. Utinam ad potentiſſimum, & ditiſſimum Regem Regum mea Vota perveniant! Ille Te MAGNE COSME, ſervet Præſidium & dulce Decus meum.

PRÆFATIO OPERIS.

ILla Prophetarum oracula, quæ ex primis Iſaiæ Capitulis eruuntur ſacris lectionibus expoſita, jam in lucem prodierunt. Varias Diſſertationes in ſubſequentia ejuſdem Prophetæ Capita præſens Tomus exhibet, & cum utroque ita conjunguntur Diſſertationes ad præcepta primæ tabulæ, ut quod in iis videtur deeſſe, in uno, vel altero facile reperiri poſſit. Qui de Expoſitoribus Sacræ Scripturæ præceps judicium ferunt,& eorum exiſtimant imperfecta opera, qui in paucis tantum alicujus ſacri libri capitibus declarandis exercentur. Sciant adhuc ſub judice eſſe, an magis ſint laudandi qui integros Divinæ Scripturæ libros breviter, & veluti currendo exponunt, aut qui in paucis detinentur, multa tamen utilia, & ad intelligentiam rei, de qua eſt ſermo, conducentia proferunt. Certè magnus ille vir Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis ſeptem in Matthæi Evangelium tomos edidit, neque illis totius Evangelii expoſitionem complevit, & ut notat Sixtus Senen. Biblioth. Sanctæ lib. 4. ad unius capitis declarationem centum, & ſeptuaginta quæſtiones promovit. Libro autem tertio ejuſdem Bibliothecæ Henricum Langeſtenium commemorat, qui plures annos in explicandis quatuor Sacræ Geneſis Capitulis conſumpſit. Multò prolixior Thomas Haſſerbachius, qui uno, & viginti annis, viginti quatuor libris, vix primi Iſaiæ capitis expoſitionem perfecit. Aſcanius Martinengus duo volumina edidit in tria tantum Geneſis capita. Franciſcus Mendonza, in quindecim Capita primi Libri Regum tria volumina. Et quis eorum opera imperfecta judicat, aut ſpernit? Divinarum majeſtas ſcripturarum hoc expoſcit, ut de paucis multa dicere, & in ipſis diù hærere cogamur. Hinc D. Hieronym. Epiſt. 2. ad Voluſianum: *Tanta eſt*, inquit, *Chriſtianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem ſi eas ſolas ab ineunte ętate, uſque ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtudio, meliori in-*

ingenio conarer addiſcere: pręter fidem enim tam multa, tamque multiplicibus myſteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus reſtant, tantaque non ſolum in verbis, verum etiam in rebus latet altitudo ſapientię, ut annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimis cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: Cum conſumaverit homo, tunc incipiet. D. verò Joannes Chryſoſt. hom. 23. Act. Ap. hoc idem fatetur, cum ait: *Abyſſus quęſtionum Scriptura eſt, quoniam quęſtionum nullus erit finis; Ecce enim ſi hanc ſolvero mille acervos oſtendam quaſtionum.*

In hiſce Diſſertationibus multa comprehenduntur, quæ vel breviter à ſacris Expoſitoribus ſunt tractata, vel omninò prætermiſſa. Ad expoſitionem Cap. 6. Iſaiæ, ubi agitur de templis, & de ſtructura tabernaculi, cujus atrium dixi ad orientem poſitum, addere oporteret varias antiquorum conſuetudines circa modum orandi, & ſe ad aliquam mundi plagam vertendi. Ad orientem enim, ſive ad ſurgentem Solem converſo vultu orare ſolebant Ethnicorum multi, necnon veteres Chriſtiani. De prioribus fidem faciunt Clemens Stromat. 7. pag. 724. edit. Pariſienſ. Tertullianus in Apologet. cap. 16. Virg. Æneid. 8. de Ænea precaturo

> *Surgit, & Ætheri ſpectans orientia Solis*
> *Lumina; ritè cavis undam de flumine palmis*
> *Suſtulit, ac tales effudit ad athera voces.*

Et lib. 12. de Latino, & Turno Regibus, Ænea, & Aſcanio ſacrificantibus

> *Illi ad ſurgentem converſi lumina Solem*
> *Dant fruges manibus ſalſas, & tempora ferro*
> *Summa notant pecudum.*

De Chriſtianis teſtantur Clemens Alexandrinus jam citatus. Et Clemens Pontifex Conſtitutionum Apoſt. cap. 57. ubi legimus: *Deinde cuncti pariter conſurgentes, & in orientem contemplantes egreſſis Cathecumenis, & pœnitentibus orent Deum, qui aſcendit ſuper Cœlum Cœli ad orientem.* Aliam iſtius ritus rationem reddit Clemens Alexandrinus, inquit enim. *Unde etiam templorum antiquiſſima reſpiciebant ad occidentem, ut qui vultu ſtant ad ſimulacra converſo, doceantur verti ad orientem.* In Canone verò Arabico, qui habetur inter Clementinas compendioſè manuſcriptas, & citatur a Seldeno tom. 3. cap. 16. de Synedriis veter. Hebr. hæc habentur.

Ha

Hæ ſunt Conſtitutiones, quas docuere Apoſtoli Sancti, atque ex illis eſt, ut preces fundantur verſus orientem, cujus rei traditio, ac probatio plena habetur in ſermone Domini noſtri Jeſu Chriſti, nempè Deum venturum è Cælo in poſterioribus diebus, ſicut fulgur, quod micat in oriente, & ſplendet in occidentem; Unde docemur circa adventum ejus illum fore ex oriente.

Ad tollendum laborem eorum, qui Divinarum Scripturarum ſtudium complecti voluerint, ordo librorum ejuſdem Sacræ Scripturæ juxta antiquorum Patrum conſuetudinem diſponitur, & Orientalium linguarum alphabeta adducuntur, ubi non tam ſimplices literæ, & ſejunctæ, verum etiam compoſitæ, & connexæ demonſtrantur, maximam enim perplexitatem inducit literarum varietas, niſi tyrones aſſueſcant prius literæ ſimplicis, deinde connexæ formam addiſcere, præcipuè in Arabica, & Syriaca lingua; qua cognitione, veluti jacto fundamento, quæ ulteriora ſunt facilius aſſequentur, præcipuè ſi in ipſis literis, tam Hebraicis, quam Syriacis, & Arabicis diligenter inveſtigaverint, quæ ad nominum caſus, quæ ad perſonas deſignandas, & verborum tempora deſerviant, quam diligentiam hìc prætereo, cum non ſit hujus inſtituti, & quam ſi quis adhibuerit, rejectis ſervilibus literis, quæ nam ſint nominum, verborumque radices intelliget, & Lexicorum ſubſidio, nominum, verborumque ſignificationem conſequetur. Fateor quidem hoc eſſe opus maximi laboris, atque induſtriæ, ſed ipſa aſſiduitate delectat, & veluti inventus theſaurus poſſidentes ditat, ac lætitia perfundit. Multa enim in ſacro textu reperiuntur, quæ literaliter intelligi nequeunt, niſi ad Orientalium linguarum phraſes, atque derivationes recurramus. Exemplum habemus Joannis cap. 13. verſ. 13. ubi Chriſtus Dominus ad Diſcipulos ſuos ait. *Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicitis ſum etenim.* Quibus verbis non tantum ipſorum Diſcipulorum obſequium, ſed etiam voces, quo tale obſequium exprimebatur denotantur. Erat enim apud eos, tam Hebraica, quam Syriaca, ſivè antiqua Caldaica lingua communis, & vox, quæ Syriacè Dominum ſignificat, Hebraicè exprimit Magiſtrum nam רב Rab idem eſt Hebraicè, ac multus, magnus, amplus, Magiſter. Syriacè autem ܪܒ Rab eſt Dominus, item Arabicè الرب El Rab pariter Dominus, hoc vocabu-

cabulo autem Rab רב Chriſtum appellabant, ergo ſimul, & Dominum, & Magiſtrum; attenta communium linguarum ſignificatione in uno vocabulo contenta. Poſſent hìc multa ſimilia afferri ad eruditionem ſpectantia, & quæ linguarum peritiam requirunt, niſi brevitati conſuleremus. Hoc ſufficiet indicare, nempè eos qui aſſerunt *Mariæ* nomen Hebraicè Dominam ſignificare, Hebraicam cum Syriaca lingua confundere, nomen enim *Mariæ* oritur a Syriaco vocabulo ܡܪܝܐ Morio, quod idem eſt ac Dominus. Quidquid ex Hebraicis fontibus ex Philoſophorum placitis, ad ſacrarum ſcientiarum methodum collectum eſt, hoc affertur, veluti memoria triumphorum Eccleſiæ Catholicæ, & monumentum trophæi a Chriſto victore reportati, qui eſt vera lux, & apud quem ſunt Theſauri ſapientiæ. Multi dum ſapientes vocari cupiunt, perquirunt vetuſtiſſimos Rabinorum codices, transferunt, & exponunt, variis notis illuſtrant, & dum peregrinarum rerum ſtudio detinentur, non timent amare errorem, & latentis impietatis luto conſpergi; auferenda ſunt ab hoſtibus arma, quibus nocent, ſed cautè, nedum vim habent nocendi, victorum manibus vulnus infligant, detrahenda ſunt ſpolia, ſed diligenter ne aut occulto veneno, aut contracta peſte contaminent. Sola Eccleſiæ Catholicæ doctrina ſine ſuſpicione retinenda, quia hæc eſt dilectiſſima Chriſti Sponſa, Magiſtra veritatis, extra quam qui vivunt neſciunt, & pereunt.

Lectorem monitum volo, ne Typographum condemnet ſi in totius Operis editione aliqui errores apparuerint. Suppleat ipſe diligentia ſua, ac benignitate, Scriptoris oculis, atque ingenio, & ſi quid erratum eſt facilè corriget.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO
P R I M A
IN ISAIÆ CAP. V. VERS. PRIMO

Cantabo Dilecto meo Canticum Patruelis mei vineæ ſuæ.

ISaias *Parabola Vineæ Judæorum excidium prædicit. Hac uſus Hieremias, & hac uſus eſt Jeſus Chriſtus verus Meſſias ad redarguendos Populi mores depravatos. Vox* Dilecto meo *ad Meſſiam refertur, auctoritate Matthæi comprobatur Meſſiæ redargutio. Parabola Vineæ ejuſdem Matthæi, populum electum, amorem, providentiamque Patris deſignat; & ſub nomine occiſi hæredis Chriſti mortem prædicit. Cur Juſti in narratione Juſtitiæ Dei lætentur. Exemplo David hoc confirmatur. Senſus Pſ. 70. exponitur. Divinæ Juſtitiæ recordatio ad ſcælerum horrorem utilis. Deus æque miſericors, & juſtus. Adam, & Cain exempla. Temporum corruptorum libidinem Diluvium obruit. Peccatum contra naturam ignis vindicavit;*

Digitized by Google

Linguarum confuſio ſuperbiam punivit. Exempla Ægiptiorum Saulis, Abſalonis, Adonibezech, & Divinæ Juſtitiæ ſupplicia contra Innocentiæ Perſecutores in Achab, & Jezabel. Contra Superbos in Aman, in Innocentiæ accuſatores, in Danielis hiſtoria. In ſævitiam victorum contrà Jaſonem. Hiſtoria Antiochi. Propheta non tam Dei bonitatem, quam Juſtitiam oſtendit, & ſub Allegoria diſſipatæ Vineæ Hieroſolimæ everſionem vaticinatur.

I. INgratæ Urbis everſionem, Populi miſerrimum exterminium, Judaicæ gentis diſperſionem iterum, atque iterum prædicit Propheta noſter, & ſub infructuoſæ vineæ parabola, quam tamen Agricola ſumma induſtria plantaverat, corruptos Judæorum mores deſcribit, ſub lugubri cantico juſtum Dei iudicium minitatur. Eadem locutionis forma uſus eſt Jeremias, cùm videret populum divinas leges ſpernentem, Cœleſtium beneficiorum immemorem, idololatriæ, atque ſuperſtitioni deditum, inquit enim cap. 2. verſ. 20., & 21. *A ſæculo confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti: non ſerviam. In omni enim colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternabaris Meretrix. Ego autem plantavi te vineam electam, omne ſemen verum: quomodo ergo converſa es mihi in pravum vinea aliena?*

II. Ma-

II. Maximo tamen Myſterio hanc parabolam uſurpat Iſaias non obſcurè annuncians, illa aliquando uſurum Meſſiam, cum depravatos populi mores redarguerit, cum rectitudinem Divini judicij gladium ſuum jam jam vibrantis contra ingratum, rebellemque populum declaraverit. *Cantabo*, inquit, *Dilecto meo Canticum patruelis mei vineæ ſuæ*. Hoc eſt, Cantabo Meſſiæ, quem cum cæteris Prophetis diligo, & annuncio, ad quem ſuſpirant Patres noſtri, quem deſiderant, ac deprecantur gentes, quem adoleſcentulæ, ideſt animæ juſtæ intenſo amore proſequuntur, quia ejus nomen oleum eſt effuſum.

III. Huic Dilecto, atq; etiam patrueli meo, quia ex mea familia, regiaque ſtirpe oriundo cantabo illud canticum, quod ipſe aliquando Judaico populo vineæ ſuæ cantabit, ut oſtendat, quam juſtè cum Divina longanimitate, ac miſericordia abutentem punierit, quam juſtè deſerverit, ac tradiderit in opprobrium ſempiternum omnium nationum, illum qui verum Patrem, ac Dominum neglexit, contempſit, dicens ligno, pater meus es tu, & ſuaviſſimum ſacroſanctarum legum jugum ab indurata Cervice excutiens maluit Dæmonijs ſervire, quam Deo.

IV. Hæc omnia, Evangeliſtarum fideliſſimo teſtimonio adimpleta eſſe comperiemus. Legamus Matthæi caput 21. verſ. 33. ubi Chriſtus Dominus ad redarguendos Judæos hac parabola uſus eſt: *Homo erat Pater familias, qui plantavit vineam, & ſe-*

pem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregrè profectus eſt, qua loquendi forma electum præ cæteris populum ad accipienda cœleſtia beneficia deſignat, Summi Patris amorem, providentiamque commendat, innuit exempla majorum, quibus ab ipſo mundi exordio inſtruebatur, leges ad acquiſitionem virtutis promulgatas, Prophetarum legationem in ſpem redemptionis, ac demum verſ. 38. 39. & 40. ſub nomine filij, atque hæredis ab agricolis occiſi prædicit mortem acerbiſſimam, quam pro univerſo humano genere pertulit, & pœnas, quas gens ingrata, rebelliſque populus pro commiſſo ſcælere perſolvere debebat, legitur enim verſ. 41. *Malos male perdet, & vineam ſuam locabit alijs agricolis*, & verſ. 43. *Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*. Hanc vineæ parabolam à Chriſto Judæis pronunciatam legimus etiam Marci cap. 12. & Lucæ 20. verſ. 9.

V. Quod verò Propheta dicat ſe cantaturum Meſſiæ ejusdem reprehenſiones, minas, ac vindictam contra ingratam Urbem, populumque rebellem, non eſt ſilentio prætereundum, cum ſit res plena myſterio; juſti enim in enarrandis quæ à Divina juſtitia patrata ſunt ſummopere delectantur, cum peccatores Miſericordem Deum deſiderent, juſtum autem nolint. Dignum ergo eſt, ut & laudetur divina Miſericordia, ne peccatores veniam deſperent,

& com-

& commendetur juſtitia, ne ſcælerati, obſtinatique homines miſericordia, & longanimitate Divina abutantur. Hinc Regius Propheta, qui Pſ. 88. dixit: *Miſericordias Domini in æternum cantabo*, aſſerverat antea pſal. 70. verſ. 16. Se in ſolius juſtitiæ contemplatione, commemorationeque exercitandum, inquit enim: *Quoniam non cognovi literaturam introibo in potentias Domini, Domine memorabor juſtitiæ tuæ ſolius.*

VI. Quaſi dicat, Miſericordia Domini plena eſt terra, illa peccatores alliciuntur, dulciſſimèque invitantur ad pœnitentiam, illam altè in animo retinebo, æternas gratias referens Deo meo, qui ſecundum magnam miſericordiam ſuam delevit iniquitatem meam. Hactenus expertus ſum, ac mente revolvi, quam bonus Iſrael Deus, quam ſapiens, quam longanimis, quam miſericors: nunc introibo in potentias Domini, & memorabor juſtitiæ ſolius, ut hac aſſidua conſideratione, & tam utili commemoratione, omnes meas actiones componam propoſito mihi ante oculos Deo juſto Judice, ac malorum Vindice.

VII. Et profectò recordatio divinæ juſtitiæ, ejuſque aſſidua commemoratio valde utilis eſt tam nobis àd horrorem, deteſtationemque ſcælerum, quam Cæteris, ut qui aliorum exemplo peccare didicerunt, aliorum ſupplicio inſtruantur Divinam Majeſtatem revereri, & pro certo habeant Deum

æque eſſe miſericordem, ac juſtum. Qui legit peccaſſe primum hominem interroget lachrymas ſuas, mœrorem, labores, ærumnas, mortem, quid pro tali culpa ab ejus imitatoribus, ac filijs Divina juſtitia repoſcat. Qui audit peccaſſe Cainum, audiat fraternum ſanguinem clamantem, legat in Sacra Geneſi eum profugum, ac vagum tanti facinoris horrore exagitatum, ſibi ipſi diſplicentem, omnes timentem, vexatum conſcientia delicti. Meminiſſe oportet Divinæ juſtitiæ, ut vitia, quæ prava imitatione in animos hominum furtim irrepſerunt, eoſque crudeliſſima tirannide occuparunt, ſi non virtutis amore, ſaltem concepto timore ſupplicij odio habeantur, & exterminentur. Multi ſunt, qui inſano mulierum amore exarſerint. Sed legimus primorum ſæculorum libidinem univerſale Diluvium obruiſſe. Ignem de Cœlo delapſum offenſæ naturæ injurias vindicaſſe. Hominum vanitatem, ac faſtum linguarum confuſione Deum puniviſſe. Submerſos in Mari rubro Ægiptios. Peſte, fame, & bello ingratos populos corruiſſe. Jacet proſtratus Saul, ac proprio gladio confixus, qui olim invidia ductus nitebatur Davidem configere cum pariete. Pendet è quercu Abſalon lanceis confoſſus, qui in paternum Solium conſpiraverat. Clamat Adonibezech in Divinæ juſtitiæ teſtimonium, ut qui ejus crudelitatem, potentiamque collaudabant, ſupplicio terreantur. Ductus eſt in triumphum præciſis manuum, pedumq;

ſum-

ſummitatibus, & qui non poterat ſupplices manus ad Cœlum tendere humili voce ſe ab ultrici Divinæ juſtitiæ dextera percuſſum confeſſus eſt, ut narratur Judic. cap. 1. verſ. 7. *Dixitque Adonibezech: ſeptuaginta Reges amputatis manuum, ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus*.

VIII. Sicut frequenter Divinam miſericordiam commendamus, memorari etiam oportet Divinæ juſtitiæ in ſolatium bonorum, malorumque terrorem. Proponatur illis, qui innocentes reos faciunt, ut eorum ſubſtantia locupletentur. Quomodo Achab, & Jezabel Deus puniverit, & quomodo ſanguinem Naboth innocentis vindicaverit. Quod grave ſupplicium minitatus fuerat Elias 3. Reg. cap. 21. verſ. 19. *Hæc dicit Dominus: in loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum*. Et hoc adimpletum legimus, ut narratur cap. 22. ejusdem libri verſ. 38. Memorari oportet quod impia Jezabel, quæ Viro ſuo Achab fuerat avaritiæ, ac tirannidis fomentum, & quæ ſimulata pietate in mortem innocentis conſpiravit, ſe ab ultricis dexteræ flagello minimè ſubtraxit; Nam ut legimus 4. Reg. cap. 9. verſ. 33. *Præcipitaverunt eam, aſperſuſque eſt ſanguine paries, & equorum ungulæ conculcaverunt eam. Cumque introgreſſus eſſet* (videlicet Jehu) *ut comederet, biberetque ait, ite, & videte Maledictam illam, & ſepelite eam, quia filia*

lia Regis eſt, cumque iſſent, ut ſepelirent eam non invenerunt niſi calvariam, & pedes, & ſummas manus, reverſique nunciaverunt ei. Et ait Jehu ſermo Domini eſt quem locutus eſt per ſervum ſuum Eliam Thesbiten dicens: in agro Jezrabel comedent canes carnes Jezabel. Memorentur Divinæ juſtitiæ qui aula vivunt, & aura; & dum in aliorum ruina fundamenta ſibi parant ad gloriam, & divitias, videant Deo permittente Aman eodem patibulo pendentem quod paraverat Mardochæo, cujus rei hiſtoria expreſſa eſt Eſther cap. 7. verſ. 10. Memoremur Divinæ juſtitiæ; & ſciamus non tardare Divinam iram, ſi innocentes falſo accuſantur. Legimus enim Danielis cap. 13. verſ. 62. Interfectos fuiſſe à populo mendaces caſtæ Suſannæ accuſatores. Et cap. 14. verſ. 41. Devoratos à leonibus eos, qui exuta humanitate Danielis mortem Regi ſuadebant. Proponatur ultrix juſtitia, ejuſque miranda opera illis, qui victorum ſævitiam, ſuperbiam, crudelitatemque imitantur, & legatur infelix Jaſonis interitus, quem nobis liber 2. Macchab. cap. 5. commemorat. *Nam qui inſepultos multos abjecerat, ipſe, & illamentatus, & inſepultus abjicietur, ſepultura neque patria uſus, neque patrio ſepulchro participans.* Legatur Antiochi hiſtoria expreſſa 2. Macchab. cap. 9. ut omnes diſcant quod: *juſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.*

IX. Divinæ ergo juſtitiæ, non minus, quam

ineffabilis bonitatis, ac clementiæ opera ſe cantaturum dicit Propheta, ut oſtendat juſtos qui alios ad divinum amorem verbo, ac bonorum operum exemplo excitarunt. Qui ſacroſanctarum legum obſervantiam etiam inter barbaros, Contemptoreſque legum prædicarunt; Quemadmodum mœrore conficiuntur, ſi videant animos non virtutis amore, ſed ſcælerum labe occupari: quod experiebatur Regius Propheta cum dixit Pſ. 118. *tabeſcere me fecit zelus meus pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam;* ita ſumma quadam lætitia perfunduntur, cum vident Deum de hoſtibus ſuis ulciſci; Nam ut legimus Pſ. 57. verſ. 11. *lætabitur juſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris.*

DISSERTATIO SECUNDA

Vetus mos in Canticis, non tam præſentia, quam præterita memoria digna referendi, & ratio. Moyſis, & aliorum exemplo confirmatur. Deus in Deuteronomio nonnulla exprimi Cantico jubet. Verbum ludere *quid ſibi velit in Sac. litt. Veterum mos in Victorijs, Cantilenarum, Saltationum, & ratio. Auctoritas Flavij Vopiſci in Aureliani victoriam. Canticorum argumentis probatur veteres glorioſa facinora metro expreſſiſſe, & Canticis naturæ ſecreta revelaſſe. Cantus leges enumerantur. Hominum curæ cantu fugantur. Eliſei exemplo confirmatur. Hieremias ſapphico metro lamentationes compoſuit. David uſus metro in Pſalmis, verſibuſque anacroſticis. Divinæ laudes antiquitus à populo promiſcuè canebantur de quibus Kircherius. Cantorum Præfectus quis? Diſcrimen inter hymnum, & pſalmum.*

I. CUm everſio Urbis, Populi clades, Gentium diſperſio, quæ omnia à Propheta noſtro Iſaja ſub allegoria deſertæ, diſſipatæque Vineæ in hoc Capite prædicuntur, res quædam ſit altè memoria retinenda, & quã Populi debebant ſedulò meditari, ut venturi ſupplicij metu ab iniquitate revocarentur, nil mirum eſt, ſi om-

ſi omnia hæc Cantico exprimenda aſſerantur. Solebant enim veteres quidquid erat non tam præſentium, quam poſterorum memorià dignum, Canticis referre, ut veritas rei enarratæ firmius, ac tenacius inſinuaretur. Sic ut legimus Cap. 15. Exodi. Poſtquam Hebræorum gens perſequentes hoſtes univerſamque Ægyptiorum multitudinem in maris rubri fluctibus ſubmerſam vidit, & dexteram omnipotentis Dei pro ſuo populo decertaſſe cognovit. *Tunc cecinit Moyſes, & filij Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt Cantemus Domino glorioſè enim magnificatus eſt.* Unde Oleaſter, hic exiſtimat, hæc verba in ſignum lætitiæ fuiſſe repetita ad finem ſingulorum verſuum iſtius Cantici, cui opinioni non videtur adverſari Genebrardus in Pſ. 67., & hanc videntur confirmare ſubſequentia verba ejusdem ſacri textus. Nam poſt finem Cantici, verſu videlicet 20. legimus *Sumpſit ergo Maria Prophetiſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua: egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis, & choris, quibus præcinebat, dicens, Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem ejus dejecit in mare.* Memoranda ſunt quæ habentur Deuteronomij Cap. 31. & quæ Deus Optimus Maximus jubet, ut Cantico exprimantur. Non incongruum erit autem omnia verba referre ad propoſitæ veritatis confirmationem; nam verſ. 16., & ſeqq. legimus: *Dixitque Dominus ad Moyſen Ecce tu dormies cum Patribus*

tuis, & populus iſte conſurgens fornicabitur poſt Deos alienos in terra, ad quam ingreditur, ut habitet in ea: ibi derelinquet me, & irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo. Et iraſcetur furor meus contra eum in die illo: Et derelinquam eum, & abſcondam faciem meam ab eo, & erit in devorationem: invenient eum omnia mala, & afflictiones, itaut dicat in illo die: Vere quia non eſt Deus mecum invenerunt me hæc mala. Ego autem abſcondam, & celabo faciem meam in die illo propter omnia mala quæ fecit, quia ſecutus eſt Deos alienos. Nunc itaque ſcribite vobis Canticum iſtud, & docete filios Iſrael, ut memoriter teneant, & ore decantent, & ſit mihi Carmen iſtud pro teſtimonio inter filios Iſrael, verſ. autem 22. *Scripſit ergo Moyſes Canticum, & docuit filios Iſrael*: Quod quidem Canticum fusè exprimitur Deut. cap. 32. Judicum quoque Cap. 5. Poſtquam Deus humiliaverat Jabin Regem Chanaam coram filijs Iſrael legimus: *Cecineruntque Debbora, & Barac filius Abinoem in illo die dicentes. Qui ſpontè obtuliſtis de Iſrael animas veſtras ad periculum benedicite Domino.*

II. Non eſt filentio prætereundum id, quod legimus 1. Regum Cap. 18. videlicet: *Cum reverteretur percuſſo Philiſtæo David, egreſſæ ſunt mulieres de univerſis Urbibus Iſrael cantantes, chorosque ducentes in occurſum Saul Regis; in tympanis lætitiæ, & in ſiſtris, & præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percuſſit Saul mille, & David decem millia.*

Ubi

Ubi notandum eſt participium *ludentes*, quo quidem non canticum tantum, ſed quoddam ſaltatiunculæ genus denotatur, ut videlicet corporis geſtum, motumque ad cantum, ſonumque muſicorum inſtrumentorum plaudentes accomodarent quod quidem veteres Balliſtea, & Atheneus lib. 8. Βαλλίζειν Balliſin appellat nomine deducto a jaculatorijs inſtrumentis, nam Βαλλίζειν χεῖρας Balliſin Chiras eſt manus jactare, & hoc ſaltantium proprium, ut notat Salmaſius ad Flavium Vopiſcum citans illud Propertij, nempe

Nanus & ipſe ſuos breviter contractus in artus
Jactabat truncas ad Cava buxa manus.

Uſu autem fuiſſe receptas in antiquorum victorijs Cantilenas, ſivè Saltatiunculas certiſſimum eſt; volebant enim, ut reportati triumphi memoria in vulgus propagaretur, & ipſa voluptate, quam ſolent homines in cantu percipere Heroum res geſtæ perpetuò conſervarentur. Ad plauſum in triumphis conſuetum alludit Propheta Pſ. 67. ubi legimus. *Prævenerunt principes conjuncti pſallentibus in medio juvencularum tympaniſtriarum*. De ſaltatiunculis, & Cantilenis narrat Flavius Vopiſcus in Aureliano ex Teoclio Cæſarianorum temporum Scriptore. *Aurelianum manu ſua bello Sarmatico uno die quadraginta, & octo interfeciſſe, plurimis autem, & diverſis diebus ultra nongentos quinquaginta, adeo ut etiam Balliſtea pueri, & ſaltatiunculas in Aurelianum tales*

com-

Digitized by Google

componerent, quibus diebus feſtis militariter ſaltitarent. Mille mille mille mille mille mille decollavimus. Unus homo mille mille mille mille decollavimus. Mille mille mille vivat qui mille mille occidit. Tantum vini habet nemo, quantum fudit ſanguinis.

III. Ipſa etiam Canticorum argumenta, quæ veteres ſibi proponebant, non obſcurè ſuadent, res ſolum memoria poſterorum dignas, atque utiles ſuavi Canticorum modulatione, metroque fuiſſe expreſſas. Præcinebantur enim Deorum laudes, referebantur illuſtrium Virorum, atque Heroum res geſtæ, in Olimpicis Pithijs, Nemeiſque ludis; Unde Horatius

Muſa dedit fidibus Divos, puerosque Deorum
Et pugilem Victorem, & equum certamine primũ
Et juvenum curas, & libera vina referre.

IV. Quin etiam Canticis miranda naturæ ſecreta revelabantur, afferebantur rerum naturalium cauſæ ſyderum motus, temporum viciſſitudines, ſolis, ac lunæ motus explicabantur, quare Virgilius 1. Æneidos *Cithara Crinitus Jopas*

Perſonat aurata docuit quæ Maximus Atlas
Hic canit errantem lunam, ſoliſq; labores
Unde Hominum genus, & pecudes unde imber, & ignes
Arcturum, pluviaſq; Hyadas geminoſq; Triones:
Quid tantum Oceano properent ſe tingere ſoles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.

Quid-

V. Quidquid ergo memoria dignum erat, ſub aliqua determinata harmonia, metro, ac percuſſione præcinebatur, quam determinationem Veteres legem appellabant, aut quia ut tradit Zerlinus 2. parte inſtitutionum harmonicarum cap. 5., ad determinatum tibiæ, liræque ſonum ad inſtituendos populos canerentur, aut quia nemini fas erat modos ad cantandum præfixos præterire. Hinc inter leges cantus aliæ Tibiariæ, aliæ Cithariſticæ, aliæ Communes, quæ vel ab inſtrumentis, vel à metro, vel à populis, vel ab inventoribus, vel à modo, vel à materia ſuum nomen ſortiebantur. Sic ab inſtrumentis, Cithariſticæ, & Tibiariæ dictæ. A populis ut Eolia, & Beotia. A metro, ut Orthia, & Trochea. A modis acuta, & Tetraedia. Ab amatoribus, & inventoribus, ut Terpandria, & Hieracia. Et ab argumentis, ut Pithicum certamen, & Curule. Cum autem homines cantu moleſtiſſimas curas depellant, quæ animum diſtrahunt, & affligunt, animuſque ipſe jucundiſſima ſonori perceptione elevetur ad officia ſua promptè, expeditèque peragenda; Qua de cauſa Eliſæus cum Divinum Oraculum vellet exquirere, ut narratur lib. 4. Reg. cap. 3. juſſit, ut ad ſe Pſaltes adduceretur, *cumque caneret Pſaltes facta eſt ſuper eum manus Domini*. Nil mirum ſi cantus miniſterio voluerint homines ipſi altiſsimarum rerum memoriam excitari, & quidquid erat animo retinendum muſicis modis expreſſerint. Hinc Cretenſes,

ut narrat Ælianus lib. 2. de varia hiſtoria, jubebant filios ſuos cum cantu leges addiſcere, ut jucundiſſima voluptate ad rerum agendarum utilitatem traducerentur. Hinc etiam Jeremias Propheta cum exterminium populi ſui prævideret, & deploraret miſerrimum ſtatum, ad quem erat Civitas Domina gentium redigenda, ne ullam ignorantiam prænunciati mali poſſent Cives, eorumque poſteritas adducere; Saphico metro, ut teſtis eſt Hieronymus in Epiſtola ad Paulam Urbicam, lamentationes compoſuit, eiſq; Hebraica appoſuit alphabeta, ut quæ metro, ac ſono alliciebant, quæ familiaria erant legentibus, fierent etiam fundamentum, quo res enunciatæ altius, ac firmius animo imprimerentur. Sic Coronatus Pſaltes non tantum voluit, ut divinæ laudes determinato metro, ac jucunda modulatione recitarentur, ſed in ijs exprimendis uſus eſt acroſtichis verſibus, ut conſtat ex Pſalmo 118., in quo non ſolum in ſingulis verſibus, modò ſub nomine juſtificationis, modò ſub nomine mandati, teſtimonij, viæ, judicij, lex exprimitur, ſed ſinguli oſtonarij verſus Alphabetica littera deſignantur, ut legenti patebit. Divinæ laudes Pſalmis expreſſæ, acceptaque tranſactis ſæculis à ſummo Conditore beneficia ad quaſdam veteris muſicæ leges redigebantur, ut à populo canerentur, vel promiſcuè tam à viris, & pueris, vel à Cantoribus tantum muſicis inſtrumentis reſonantibus, de quibus latè Kircherus in arte magna

con-

conſoni, & diſſoni lib. 2. A viris, & pueris, ut conſtat ex aliquorum Pſalmorum titulo, & præcipuè Pſalmi 6. qui eſt pro octava, quæ quidem cum ſit intenſiſſimus tonus, ac per omnes chordas vagetur, & hinc à Græcis διὰ πασῶν Diapaſon appelletur continet enim in ſe grave, & acutum, poterat commodè, tam à viris, quam à pueris, quam à fœminis uſurpari. Titulus etiam Pſal. 4. ex textu Hebraico, eſt *in finem in carminibus Præfecto Cantorum ad inſtrumenta muſica*. Ex quo patet quanta diligentia Pſalmi canerentur, & quod ad præcinendas cum ſumma quadam voluptate Divinas laudes harmonica inſtrumenta deſervirent. In quo notandum eſt occurrere aliquando in Pſal. titulo, ut Pſal. 30. 65. 67. 68. 75. 76. 87. 92. has voces מִזְמוֹר שִׁיר Mizmor Scir, ideſt Pſalmus Cantici, hoc eſt Carmen, quod prius muſico inſtrumento pſallebatur, & poſteà voce canendum dabatur. Aliquando verò, ut Pſ. 48. 66. 83. 88. 108. שִׁיר מִזְמוֹר Scir Miſmor, nempè canticum Pſalmi, ideſt quod prius viva voce canebatur, deinde aptabatur muſicis inſtrumentis.

VI. Notandum pariter eſt Præfectum Cantorum illum fuiſſe, qui non tantum muſica peritia cæteros antecelleret, ſed etiam vocis vigore, ac claritate cantantes moderaretur, quare Victor plerumque appellabatur, & hinc lucem accipiunt verba illa expreſſa Habacuc cap. 3. nempe *Et ſuper excelſa mea deducet me Victor in Pſalmis canentem*.

C VII. Quod

VII. Quod ſi hic quæras, quodnam diſcrimen inter Canticum, Hymnum, & Pſalmum reperiatur, breviter reſpondemus cum Iſidoro lib. 6. Origin. cap. 19. ex Ruffino Aquileienſi in Pſ. 74. Quod Canticum eſt vox cantantis in lætitiam. Pſalmus cum ceſſante voce pulſus tantum organi Canentis auditur. Sive Canticum cum Cantantium chorus libertate ſua utens neque in conſonum organi adſtrictus obſequium, hymno canoræ vocis tantum exultat. Hymni verò ab Eucherio, & Iſidor. lib. 1. de Eccleſiaſt. off. cap. 6. vocantur quæcumque carmina in laudem Dei dicuntur. Unde Ruffinus in tit. Pſ. 72. *Hymni*, inquit, *ſunt cantus continentes laudem Dei.* Si ſit laus, & non ſit Dei, non eſt hymnus, ſi ſit laus, & Dei, & non cantetur, non eſt hymnus; oportet ergo, ut ſit hymnus, habeat hæc tria, laudem, & Dei, & Canticum.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO TERTIA

INſtrumenta ad cantum adhibita. Pneumatica, fidicina, pulſatilia. Locus pſalmi 81. verſ. 1. exponitur. Octo inſtrumenta, quibus Hebræi utebantur שופר *Sciophar, ideſt Buccina* חצוצרות *Chatzotzeroth, ideſt Tuba* עוגב *Gugab, organum* נבל *Nabel, nablum* כנור *Chinor, cithara* תוף *Toph, tympanum* מנענעים *Menaaghenim, ſiſtra* צלצלים *Zelzelim, cymbala. Tuba, & organum ad quid deſervirent. Vocis Nebel ethimologia. Uſus cæterorum inſtrumentorum exponitur. Ex pſalmorum titulis octo fuiſſe apud Hebræos tonos deducitur, & ad noſtros aliqua proportione reducuntur.*

I. CUm in præcedentibus multa de antiquis hymnis, & canticis dicta ſint, ad majorem legentium eruditionem, aliqua ſunt hic adnotanda ex graviſſimis Auctoribus circa inſtrumenta, quæ ſacris hymnis præcinendis, & pſalmis à populo decantandis adhibebantur, qua re ſemel intellecta jucundiſſimæ nobis erunt illæ inſtrumentorum enumerationes, quæ in ſacris literis ſæpiſſimæ obviæ ſunt, & præcipuè in pſalmo centeſimo quinquageſimo. Ut igitur ad inſtrumenta deveniamus, ſciendum eſt, triplicis eſſe generis

ea inſtrumenta, quibus veteres ad modulationem utebantur. Scilicet pneumatica, fidicina, pulſatilia. Pneumatica ea profecto ſunt, quæ flatu, ſpiritu, vel vento incitata, ſonum emittunt, uti ſunt Fiſtulæ, Sampuniæ, Cornua, Tibiæ, Tubæ, Buccinæ, Syringæ, Litui, & alia polycalama, plures habentes calamos, ſeu cannas, quæ Italico ſermone Regali, ſive Organi dicuntur. Fidicina verò ea ſunt, quæ chordis, ſeu nervis inſtructa, & compoſita, digitis, vel pinnis, & plectris in armonicos motus artificiosè incitata, ſonum edunt ſuavem, ut Citharæ, Teſtudines, Thiorbæ, Nablia, Harpæ, Violæ, Lyræ, Sambucæ, Chelys, Pectides, Clavicymbala, Clavicordæ, Spinettæ, Barbita, aliaque his ſimilia, & omnis generis Citharæ, quæ vulgo Chitarre appellantur. Pulſatilia denique inſtrumenta ea ſunt, quæ digitis, aut bacillis, vel ferrea lingua pulſantur, ac ſonum gravem efficiunt, atque jucundum, hujuſmodi ſunt Campanæ, Cymbala, Tympana, Gnaccari, Siſtra, Crotula. Hoc autem inſtrumentorum genus antiquos Hebræos adhibuiſſe ad pſalmorum omnes modulandas cantiones, nemo quidem inficiabitur, qui attentè ea Sacræ Scripturæ loca perlegerit, quæ hoc nobis inſinuare videntur, ſi quidem pſal. 81. verſ. 3. apud Hebræos ſic legimus. *Sumite pſalmum*, ſeu ut alij legunt *ſumite canticum*, *& date* תוף *Tympanum* כנור *Citharam jucundam cum* נבל *Nebel*. Et pſal. 150. verſ. 3. *Laudate eum, uem-*

pè

pè Dominum in clangore שופר *Buccinæ, laudate eum in* נבל *Nebel &* כנור *Citbara*. Verſ. 4. *Laudate eum in* תוף *timpano &* מחול *choro, laudate eum in* בְּמִנִּים *fidibus, &* עוגב *Organo, &* verſ. 5. *Laudate eum in* בְּצִלְצְלִים *Cymbalis ſonoris, laudate eum in cymbalis jubilationis*. Et 2. Regum cap. 6. verſ. 5. legimus: *David verò, & univerſus Iſrael ludebant coram Domino in omnibus inſtrumentis muſicis, & citbaris, & nablis, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis*.

II. Porrò ex his Sacræ Scripturæ locis clarè deducitur, octo fuiſſe inſtrumenta, quibus Hebræi utebantur. Ex Pneumaticis, quæ vento inflata ſonum dant, tria ſunt שופר Sciophar, Buccina חצצרות Chatzotzeroth, Tubæ עוגב Gugab, Organum. Ex Fidicinis duo נבל Nebel, Nablum כנור Chinnor, Cithara. Ex pulſantibus tria תוף Toph, Timpanum מנענעים Menaanym, Siſtra צלצלים Tzeltzelim cimbala.

III. Cum itaque viderimus quot fuerint inſtrumenta, quibus Hebræi veteres utebantur, non injucundum erit, puto, quomodo facta eſſent, & quo tempore, quibuſque opportunitatibus uterentur, audire.

IV. Ex Pneumaticis igitur שופר Sciophar, Buccina, inſtrumentum erat cornu recuruum, vulgo ab Hebræis vocatum קרן Cheren, cornu, ex cornu enim Arietis fieri ſolebat, & hodie ex Rabbinorum præcepto nonniſi ex cornu arietino fieri poteſt,

quod

quod promiſcuè & שופר Sciophar, & קרן Cheren Hebræi vocare conſueverunt. Hoc autem inſtrumento שופר Sciophar, Buccina præcipuè utebantur ad feſta indicanda, & promulganda, ut Novilunij, ut apertè colligitur ex pſal. 81. verſ. 3. *Buccinate in Neomenia tuba in inſigni die ſolemnitatis veſtræ*, nempè, ut legitur hebraicè, *clangite in Novilunio*, ſeù ut alij legunt, *in Kalendis, buccina in tempore conſtituto, in die feſtivitatis noſtræ.* Utebantur quoque hoc inſtrumento ad pſalmos modulandos, ut ex pſalmo 150. ſupracitato apparere poteſt.

V. חצוצרות Chatzotzeroth. Tuba. Inſtrumentum eſt buccinâ longius ex cupro, argento, aut alia materia, ſive etiam ligno oblongo, cavo, & recto; manufactum, & in hoc præcipuè à buccina diſcrepans, quod buccina curva ſit, tuba verò extenſa. Tuba argentea clangebant, quando caſtra in deſerto movenda erant, & ex divino præcepto Sacerdotes hoc fungebantur officio. Si ſemel tantum clangebant, Principes, & capita Filiorum Iſrael ſimul conveniebant, & congregabantur; ſi verò prolixior erat clangor movebant caſtra primi illi, qui erant ad Orientem; ſi clangor prolixior permanebat, itaut ululatus videretur conciſus, caſtra movebant, qui erant ad Meridiem, & pariter alij ad differentiam ululatus vel caſtra movebant, vel mota ſiſtere, & ſtare imperabant; hoc quoque adhibebant inſtrumentum, cum bellum indicerent, & eo præſertim tem-

pore,

Digitized by Google

pore, quo Sacra Hieroſolymitana Ædes extabat ipſo feſti dies indicebantur, & ſacri hymni decantabantur: ſed poſtquam everſum Dei Sanctuarium fuit ex Rabbinorum decreto ad indicandam mœſtitiam, & dolorem nobiliori, & præſtantiori rejecto inſtrumento, buccinæ tubis humiliores ſucceſſerunt, quibus his quoque diebus utuntur Hebræi, quamvis & tubas eas appellent, & buccinas, propter quamdam inter ſeſe ſimilitudinem.

VI. עוגב Gugab Organum. Inſtrumentum erat calamis, ſive fiſtulis ſtanneis, vel alterius materiæ elaboratum, quæ fiſtulæ à vento, quem recipiunt expletæ, atque exagitatæ, manibus, vel alio inſtrumento compreſſæ ita ſuavem, dulcemque ſonum emittunt, ut meritò hebraicè hoc inſtrumentum עוגב Gugab appelletur, ſcilicet quaſi amabile inſtrumentum; nam עגב Ngagàb, à quo talis vox deducitur, nil aliud, niſi amare, & amari ſignificat, hoc autem antiquiſſimum inſtrumentum in Synagoga frequens fuit, ad cujus melodiam pſalmi canebantur. Hæc de pneumaticis, nunc de fidicinis breviter agendum.

VII. נבל Nebel inſtrumentum fuit non purè pneumaticum, ut aliqui putarunt, ſed potius fidicinum, ad inſtar pſalterij fabricatum, conſtans ex pluribus, vel paucioribus chordis, prout diverſa eorum erat magnitudo; hoc autem ſolemnitatibus, feſtiſque diebus utebantur: dicitur autem נבל Nebel, eo quod cæte-

cæterorum inſtrumentorum conſonantiam confundat נבל Nabel enim idem eſt ac ſtulteſcere, vel ſtultè agere.

VIII. Secundum ex fidicinis inſtrumentis erat כנור Chinnor, Cithara, quæ organo antiquitate non cedit, cum utrumque eodem fere tempore ortum duxerit. Ejus forma dicitur fuiſſe ad inſtar litteræ Grecæ Δ Delta, chordis inſtructa, quæ digitis in diverſas voces concitata ſuaviſſimè reſonabat, itaut in novo quoque Teſtamento apud Matth. cap. 14. verſ. 34. Dulciſſimi fructus terræ Geneſar tali comparentur inſtrumento: Hac uſos fuiſſe Hebræos, multa extant teſtimonia, quorum præcipuum eſt, quod David adhuc infans ita eam ſuaviter, dulciterque tractaret coram Saul, ut ſpiritus nequam procul ab eo recederet.

IX. Ad pulſatilia inſtrumenta attinebat Tympanum תוף Toph, ex una parte planum, & membrana clauſum, quod baculo percuſſum ſonum reddit gravem, atque imperioſum: quamvis paſſim de eo mentio in Divinis Scripturis habeatur, nulla tamen memoria de ejus forma ad nos eſt tranſmiſſa; ego tamen puto hoc inſtrumentum antiquo Hebræorum tempore ad inſtar fuiſſe cymbali, quod Puellæ, atq; Mulieres in ſuis cantilenis, & ſaltationibus in Italia tractant: in hanc autem addúcor ſententiam ex eo quod legitur Exodi 15. verſ. 20. quod Mulieres Hebrææ canticum Domino canebant cum tympanis;

non

Digitized by Google

non enim veriſimile eſt Puellas illas tympana geſtaſſe, cum & gravia ſint, & potius Homines deceat illa ſonare, quam Mulieres. Dici etiam poteſt tympana graviora, & grandiora à Viris fuiſſe percuſſa; cymbala verò utpotè minus gravia fuiſſe in prophanis feſtis à Mulieribus uſurpata; legitur enim 1. Reg. cap. 18. verſ. 6. *Mulieres ex omnibus Urbibus egreſſas in occurſum Regis Saul in tympanis cantando cũ lætitia*.

X. Secundum מנענעים Menaanym, Siſtra. Inſtrumenta erant ænea, ſive crepitacula, quæ percuſſa ſtridulum ſonum emittebant. His quamquam inſtrumentis uterentur Hebræi ad exprimendum luctum, & mœſtitiam, & dum pulſarentur, puellæ, & fœminæ maximos darent clamores, ea tamen promiſcuè adhibuiſſe cum alijs inſtrumentis ad cantiones modulandas, Deoque coram Arca gloriam præſtandam, nobis teſtatur quod lib. 2. Reg. cap. 6. verſ. 5. legimus. *David verò, & univerſus Iſrael ludebant coram Domino in omnibus inſtrumentis muſicis, & citharis, & nablis, & tympanis* ובמנענעים *& in Menaanym, & Siſtris*.

XI. Tertium צלצלים Tzeltzelim, cymbala, quæ & alio quoque nomine nuncupantur, ſcilicet מצלתים Metzelatim, tintinnabula, duali numero dicuntur; duplicis autem generis cymbala ſunt, ſi quidem alia צלצלי שמע Zilzele Sciamaa, cymbala ſonora appellantur; alia verò צלצלי תרוח Tziltzele Theruah cymbala jubilationis dicuntur. Cymbala, quæ Tziltze-

le Sciamaa vocantur, ſunt duo inſtrumenta ærea, quæ ſe invicem collidunt, ſonumque emittunt. Cymbala verò, quæ Tzeltzeli Shervah, nempè cymbala jubilationis, ſunt tabulæ quædam metallicæ; utrumque magnum emittebat ſonum, itaut eorum ſtrepitus ad longinquas uſq; partes perveniret, quod etiam nos docet id, quod legimus 1. Paralip. cap. 15. verſ. 19. *in cymbalis æneis concrepantes ad reſonandum*, ſeu, ut alij legunt, *ad reſonare faciendum*.

XII. His igitur inſtrumentis profectò ad pſalmos, & cantiones decantandas utebantur Hebræi, ſed quibus tonis, modulationibus, ſimphonijs determinatè pſalmi fuerint decantati in veteri lege, non facilè eſt recenſere, cum nulla hujus rei certa adſit memoria; quid tamen una cum alijs Auctoribus ſentiamus, breviter exponere decrevimus.

XIII. Et in primis certum eſt, quod pſalmorum modulatio propriè ad מנצח Menatzeach, Præceptorem, ſive Muſices Præfectum pertinebat, qui pſalmos alijs quoque canendos diſtribuebat; hinc intelligi poterit cur multi pſalmi Davidis à voce incipiant למנצח Lamnatzeach, quæ à D. Hieronymo, & à nonnullis alijs Victori, aut Vincenti vertitur, quia ſcilicet hujuſmodi pſalmi à David, Præfecto Muſices, Italicè Magiſtro Cappellæ tradebantur, ut ipſe ſecundum proprium tonum canendos curaret: octo autem erant toni, ad quorum metrum, ſeù melodiam pſalmi præcinerentur; primus quo-

rum

rum עלמות Aalamoth vocabatur, ſecundus נגינות Neghinoth, tertius משכיל Maſchil, quartus מכתם Michtam, quintus שגיון Scigayon, ſextus נחילות Nechiloth, ſeptimus שגיונות Sceghynoth, octavus גתית Ghithith. Cum igitur octo eſſent modulationis ſpecies, quibus utebantur Hebræi, non injucundum erit eas ſpecies noſtris octo tonis applicare.

XIV. Per עלמות Aalmoth, quæ prima eſt modulationis ſpecies intelligi poteſt primus tonus, ad cujus normam præcinebatur pſal. 45. *Deus noſter refugium, & virtus*, dicitur autem עלמות Aalomoth à עלם Aalam, quod ſecundum quorumdam expoſitionem in tria ſignificata dividitur. Primo ſignificat rem abſconditam, occultam. Secundo Puellam, Adoleſcentulam, Virginem, eo quod ſit occulta, & abſcondita Viro. Tertio ſæculum perpetuum, æternum, aliquando tempus longum, vel etiam tempus vitæ alicujus. Juxta autem hæc tria ſignificata Interpretes verterunt titulum hunc affixum pſalmis עלמות pro arcanis, ideſt pro occultis, ſequentes primam ſignificationem, uti fecerunt ſeptuaginta vertentes ὑπὲρ τῶν κρυφίων pro occultis; Hieronymus verò ſecundam hujus nominis עלמות ſequutus ſignificationem vertit pro Juventutibus; ab aliquibus autem, qui amplexi ſunt tertiam ſignificationem intellectum eſt pro æternitate in perpetuum. Videtur autem hic titulus primo tono muſices aliqualiter correſpondere, quia ſicut primus tonus (ut eruditi con-

Digitized by Google

cedunt) flegmati dominatur, & pigritiam, ſtuporem, ſomnum, & mœſtitiam propria virtute expellit, & fugat; ita pſal. 46. quem ſub hoc primo tono fuiſſe compoſitum graves teſtantur Auctores omnem triſtitiam propellit, & cor ſumma lætitia, & gaudio replere videtur, cum dicat *Deus noſter refugium, & virtus, adjutor in tribulationibus*; ubi enim Deus adiutor, vel non ſunt tribulationes, vel refugio Dei, & auxilio conditæ, dulces maximè ſunt: & ſicut Veteres ad bene efformandos Adoleſcentium mores, & Juventutem inſtituendam primo tono utebantur, ſic & pſalmus על עלמות ſuper Juventutibus, & Puellis canitur, ut Deus cum primus ſit charitatis, & pudicitiæ largitor, dum refugium, & fortitudo eſt, per hunc primum tonum in hujus pſalmi titulo ſignificatum; eamdem videatur tribuere virtutem, & fortitudinem Juventutibus ſtudio Charitatem proſequentibus uſque ad extremum vitæ ſpiritum.

XV. Secunda modulationis ſpecies eſt נגינות Neghinoth, hæc autem vox ſignificare videtur tonum ſecundum, & ſicut primus tonus, eo quod hilaris ſit lætus, atque jucundus, Soli comparatur, qui lætis, jucundiſque rebus præeſſe dicitur; ſic ſecundus eo quod mœſtitiam in animum inducat, & ad lachrymas, & ad mœrorem cor moveat, Lunæ comparatur, quæ humidis rebus preæſſe fertur. Quod autem revera ſecundus tonus, utpotè mœſtus, & placidus

ad

Digitized by Google

ad mitigandas animi curas, & quietem conciliandam maximè conducat pſalmum quartum legenti clarè patebit. *Cum invocarem exaudivit me Deus juſtitiæ meæ*; hęc autem vox נגנות Neghinoth a נגן Naghan deducitur, quod ſignificat inſtrumentum muſicum pulſare, hoc eſt illius chordas digitis, aut plectro movere, ut emittat ſonum idoneum ad animi moleſtias mitigandas, & propellendas.

XVI. Tertia modulatio pſalmi, qua utebantur Hebræi משכיל Maſchil dicitur, quæ tertio noſtro tono comparari poſſe videtur. Sicuti enim noſter tertius tonus Marti tribuitur ex eo quia furibundus apparet, & bellicoſus, ſic tertia modulationis ſpecies vehementer animnm provocat, & excitat, & proindè משכיל Maſchil dicitur procedens a שכל Sacchal, quod præter alia, etiam proſperari in bello quam propriè ſignificat, uti clarè deducitur 1. Reg. cap. 18. verſ. 30., à principio autem egreſſionis eorum שכל proſperatus eſt David præ omnibus ſervis ſuis.

XVII. מכתם Michtam, quæ quarta apud Hebræos modulatio eſt, ſimilis quarto tono profectò dici poteſt; ad inſtar autem Mercurij hic tonus ſeſe gerit, ſicut enim ille, ut credebant Antiqui, cum bonis bonus, cum malis peſſimus eſt, ſic & ipſe adulator eſt, & cæteris ſeſe accomodat armonijs, blandus cum blandis, ſuperbus cum ſuperbis, furioſus, acerbus: hoc autem nomen מכתם Michtam à מיכי derivare vide-

detur, quod vocem, harmoniam, cantum ſignificat. Canebantur autem juxta ejus normam pſalmi 16. 57. 58. 59. & 60. qui in titulo vocem hanc מכתם Michtam præſeferunt.

XVIII. שגיון Scigayon Tonus iſtæ benevolæ naturæ, atque placidæ Jovi comparatur, qui hominibus benignis, benevolis, atque jucundis præeſſe fertur, ac proinde cum noſtro quinto tono confunditur, qui cum delectabilis ſit, nimias curas, & animi tædia fugat, & expellit, anxios lætificat, & oblectatione corroborat שגיון Scigayon autem jure appellatur, hæc enim vox lætitiam, complacentiam, jucunditatem, delectationem, voluptatemque ſignificat, quod Proverb. 5. cap. 19. legitur, & in amore ejus תשגה delecteris jugiter. Juxta hanc autem modulationem videntur Hebræi præciniſſe pſalmum Domine Deus meus in te ſperavi, cum iſte pſalmus maximam lætitiam in animos inducat, & procul mœſtitiam, mœroremque abijciat.

XIX. Sextus נחילות Nechiloth, movet, ut dicunt animum ad pietatem, amorem, & reliquas religionis virtutes; hic quapropter tonus aptiſſimus eſſe videtur ad religioſas, ſanctas, pietoſas modulandas cantiones; & in hoc tono jam canebant Hebræi pſalmum quintum *Verba mea auribus percipe Domine*.

XX. Septimus tonus גיתית Ghithith nuncupatus; hic ſupra alios tonos modulis ſuis elevatur, & per jucun-

cundos, ſuaveſque ſaltus progreditur, tum leviter deſcendens animi quietem conciliare videtur; hinc duplicem producit effectum, incitat quidem ad gaudium, ſed illicò revocat ad mœſtitiam. Hoc tono ferè omnes ſentiunt, uſos fuiſſe Hebræos ad modulandos pſalmos, & cantiones, quæ tempore vindemiæ canebantur גיתית Ghithith enim idem valet, ac torcular. In hoc tono canebantur pſalmi *Domine Dominus noſter; quam admirabile eſt nomen tuum*, pſalmus 81, *Exultate Deo adjutori noſtro, jubilate Deo Jacob*, & pſal. 84. *Quam dilecta Tabernacula tua Domine virtutum*. Hi ſeptem toni illi ſunt, quibus utebantur antiqui Hebræi, his autem recentiores octavum addiderunt, de quo cum jam ſuprà mentionem fecerimus, nihil eſt quod aliud ultrà addamus; eſt enim tonus omnium notiſſimus.

DIS-

DISSERTATIO QUARTA

IN CAP. V. VERS. XI. & XII.

VÆ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in convivijs veſtris: Et opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum ejus conſideratis.

Isaias ſcelera Judæorum, & præcipuè gulam, & ebrietatem increpat. Sententia D. Hieronymi circa gulam, & ebrietatem; item D. Ambroſij, variorumque ad confirmationem exempla. Veterum Adagium anima ſicca *explicatur. Damna vini immoderatè ſumpti. Platonis ſententia de uſu vini. Propheta horas cibi, & potus Hebræorum commemorat. Mos veterum ſumendi cibum. Refectionis matutinæ, ſeu Jentaculi variorum opiniones. Prandium undè dictum, undè Merenda, undè Cœna, undè commeſſatio: variorum ſententia referuntur. A luxuria, & ambitione in convivijs ſaltationes, & ſcorta, cæteraque voluptates inventa. Tempus Cœnæ apud Veteres, eorumque conſuetudines poſt Cœnam. Tertulliani ſententia de Chriſtianorum temperantia.*

Ne

I. NE fortè exiſtimarent aliqui levem fuiſſe cauſam, ob quam in Iſraeliticam gentem ignis Divini furoris exarſerat, ſui populi ſcælera iterum commemorat Propheta, & ea præcipuè, quæ homines plerumque ſolent ad atrociſſima crimina non tam diſponere, quam impellere, gulam videlicet accuſans, atque ebrietatem, quibus, (ſi teſtimonio graviſſimorum PP. fidem damus) nulla major vitiorum ſentina poterit reperiri. Unde D. Hieronym. ad Cap. 1. ad Titum verſ. 7. inquit: *Ubicumque ſaturitas, & ebrietas, ibi libido dominatur ...... nunquam ego ebrium caſtum putabo, qui etſi vino conſopitus dormiverit, tamen potuit peccare per vinum. Dicat quiſque quod volet, ego loquar conſcientiam meam. Scio mihi abſtinentiam, & nocuiſſe intermiſſam, & profuiſſe repetitam.* Idem etiam in Epiſt. 83. ad Ocean. *Vinolentia ſcurrarum eſt, & comeſſatorum, venterque mero æſtuans citò deſpumat in libidines.* Et inferius. *Noè ad unius horæ ebrietatem nudat femora, quæ per ſexcentos annos ſobrietate contexerat. Lot per temulentiam neſciens, libidine miſcet inceſtum, & quem Sodoma non vicit, vina vicerunt.* D. Ambroſius de Elia, & jejunio Cap. 9. citans Proverb. cap. 26. verſ. 9. *Spinæ*, inquit, *naſcuntur in manu ebrioſi, quia ipſe ſe manibus ſuis vulnerat, & ulcera ſibi in pectus deijcit. His ſpinis ſcin-*

Digitized by Google

dit veſtimentum fidei, quod accepit, & theſaurum ſuum ſervare non poterit. Omnis enim ebrioſus, & fornicator egebit, & induet ſe ſciſſa veſtimenta inſipientiæ, & ideò Proverb. 31. *potentes vinum prohibentur bibere, ne cum biberint obliviſcantur ſapientiam.* Numero autem 19. ejusdem Capitis ait: *Denique bibebant vinum in ebrietate potentes qui Holopherni Principi militiæ Regis Aſſiriorum ſe tradere geſtiebant, ſed non bibebat femina Judith jejunans omnibus diebus viduitatis ſuæ præter feſtorum dierum ſolemnitates. His armis munita proceſſit, & omnem Aſſiriorum circumvenit exercitum. Sobrij vigore conſilij abſtulit Holophernis caput, ſervavit pudicitiam, victoriam reportavit. Hæc enim ſuccincta jejunio in Caſtris prætendebat alienis, ille vino ſepultus jacebat, ut ictum vulneris ſentire non poſſet. Itaque unius mulieris jejunium innumeros ſtravit exercitus ebriorum.* Veterum erat Proverbium *anima ſicca ſapientiſſima*, ad quod alludens Clemens Alexand. lib. 2. Pædagogij inquit. *Jubar eſt anima ſicca ſapientiſſimum, & perſpicax,* lib. verò 7. ſtrogmat. *Vinum, & carnium ſagina robur quidem adducunt corpori, ſed animum reddunt languidum.* Cum autem vinum ſi immoderatè bibatur varia ſoleat damna hominibus afferre, ipſoſque ſtultos hebetes, atque ad officia ſua promptè exequenda inhabiles reddere, meritò Divinæ ſapientiæ conſilio cautum eſt, ut qui Divinis miniſterijs ſacrabantur ab omni prorſus vini uſu abſtinerent, & a qua-

cum-

cumque potione, qua humana ratio ſolet præpediri. Videantur ea, quæ fuſius expoſui in meis Diſſertationibus de Votis Nazaræorum. Hinc etiam Plato lib. 2. de legibus propè finem ait: *In Civitate nec ſervus, nec ſerva unquam vinum guſtet, nec ipſe quidem Magiſtratus illo quo Magiſtratum gerunt anno, neque Gubernatores, neque Judices dum munus ſuum exercent ullo modo vinum guſtent.*

II. Sed quoniam Propheta, ut liberius intemperantiam populi accuſaret aliquam videtur mentionem facere de horis, in quibus ſolebant Veteres aut cibum, aut potum ſumere, & quæ ſua tempeſtate vitio non carebant, ideo ad uberiorem iſtius verſus explanationem, atque ſtudioſorum eruditionem, aliquam de horis prandij, cenæ, & jentaculi commemorationem faciemus cum Propheta, & matutinas potationes, & ebrietatem uſque ad veſperam protractam, & nimium Conviviorum luxum accuſet, ait enim: *Væ qui conſurgitis mane &c.*

III. Quod Veteres in more habuerint quater in die cibum ſumere inter cæteros refert Roſinus lib. 5. antiquitatum Rom. cap. 26. erat enim matutina jentatio, quam prandiculum illi appellabant, erat prandium, & cœna, & comeſſatio. Merendam prætermittimus, quam licet Nonius poſt prandium, & poſt meridiem collocet, Feſtus tamen eamdem cum prandio fuiſſe aſſeverat. Jentaculum cibus erat matutinus ſumi ſolitus antequam homines operas ag-

grederentur, Feſtus nullum inter prandium, atque jentaculum diſcrimen aſſignat, Plutarcus in ſympoſiacis lib. 8. quæſt. 6. ait, priſcos manè ediſſe panem mero intinctum. Quamvis autem antiquitus prandium idem eſſet ac jentaculum, poſtmodum tandem diſtinctum eſt, ut jentaculum illud diceretur quod ante prandium ſumebatur, & à, jejunis; prandium vero meridianum tempus reſpiceret, & ſic prandium quaſi παρ ἐνδιον Prandia apud priſcos homines fuiſſe admodum parca refert Plutarchus loc.cit. Cœnas verò lautiores. Neque hic eſt prætereundum, quod quamvis apud aliquos merenda, & prandium promiſcuè ſumerentur, tamen merendæ vocabulum inductum eſt ad promeridianum cibum exprimendum, unde Scaliger in notis ad Varronem de re ruſtica, merendam ita dictam exiſtimat eo quod illis qui merent ære, hoc eſt mercenarijs data fuerit. Cœnam veteres veſpernam appellabant, fortaſſe quia adhibebatur hora diei nona, quæ ad veſperam protrahebatur. Iſidorus cœnæ vocabulum a Κοίνον quod Græci commune dicunt, ortum eſſe exiſtimat lib. 20. cap. 2. De comeſſatione variæ ſunt circa nominis etimologiam authorum ſententiæ, aliqui enim comeſſationem ſcribendam eſſe docent à Vicis, quos Græci Κώμας dicunt, & in quibus habitabant, antequam Oppida, Urbeſque conderentur, in ijſque ſolebant alios invitare, ut communis menſæ conſuetudo animos ad ſocietatem, concordiamq;

addu-

adduceret. Alij comeſſationem dicunt à comedendo, alij comeſſationem à verbo Κωμαζεῖν quod eſt laſcivire, & intemperantium hominum more ſe gerere. Et certè cum luxuria, atque ambitio mortalium animos occupaſſet, poſtquam illi in ſumptuoſis convivijs famem, ſitimque explebant varia voluptatum fomenta invecta ſunt, ludi videlicet, ſaltationes, & ſcorta, quæ omnia comeſſationum vocabulo poſſumus denotare. Et hinc Cicero in I. Catilinam. *Quod ſi in ludo, & alea comeſſationes tantum, & ſcorta quærerent, eſſent ij quidem deſperandi, ſed tamen eſſent ferendi.* Si ergo vocabulum comeſſatio à comedendo deſumatur, erit indifferens ad quodcumque refectionis genus exprimendum, ſi verò ab intemperantia, ebrietate, & laſcivia repetatur, ad illam priſcorum conſuetudinem referri debet, quæ ab Auctoribus refertur. Ut autem obſervat Pamelius ad Caput 39. Tertulliani in Apologet. Antiqui cœnas ſuas paulo ante Solis occaſum incipiebant, itaut ſecunda menſa ad tenebras protraheretur, quo tempore lotis manibus, & inflammatis lychnis, aut talis operam ludebant, aut ſaltationibus, cantileniſque, ſæpe etiam propinationibus vino efferveſcentes, aut inter ſeſe rixabantur, aut ebrij per Urbem diſcurrentes catervatim obvium quemque cæſionibus, verberibuſque accipiebant. Quidquid ſit de cœna ante Solis occaſum incepta, de qua paulò infra aliquid tractabitur, & quæ, ut explicabimus vocabulo etiam

pran-

prandij denotabatur. Tertullianus ipſe in loco jam citato Chriſtianorum temperantiam in Convivijs laudat, eamque gentilibus opponit. *Non prius*, inquit, *diſcumbitur quam oratio ad Deum præguſtetur. Editur quantum eſurientes capiunt, bibitur quantum pudicis eſt utile: Ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe. Ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire. Poſt aquam manualem, & lumina, ut quiſquis de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio poteſt provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit. Æquè oratio convivium dirimit. Inde diſceditur non in Catervas Cæſionum, neque in Claſſes diſcuſſationum, nec in eruptiones laſciviarum, ſed ad eamdem curam modeſtiæ, & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam diſciplinam.*

DIS-

DISSERTATIO QUINTA.

Criticorum diſſidium, de tempore prandij. Sententia Sacræ Scripturæ, nec non prophanorum Auctorum. Unde meridiare dicatur. Auctoris ſententia quare convivia prandia nominentur, variorumque opinionibus confirmatur. Cœnacula lampadibus ornabantur. Judæorum conſuetudines in convivijs, ab alijs etiam nationibus ſervata. Lectiones in convivijs etiam nunc in uſum habita. Prophetæ ſenſus explicatur. Vini moderatio ſpiritum fovet. Mos ferendi fercula lautiora a Miniſtris coronatis. Vetus adagium Græco more bibere. *Græcorum leges in convivijs. Variorum de ſalutationibus in convivijs conſuetudines. Exempla quorumdam fortium ad miſcendam ebrietatem. Judæi à Propheta reprehenduntur, & meritò. Cum Deus omnia homini conceſſerit, Per bona terrena ad æternæ Patriæ conſiderationem Mortales elevari debent.*

I. AD prandia nunc venio, quæ aliqui exiſtimarunt in uſu non fuiſſe apud Veteres, maximumque in hac re fuit Criticorum diſſidiū, ut videre eſt apud Dempſterum ad Cap.27.Roſini antiquit.Rom. Ea tamen fuiſſe adhibita non levis conjectura ſuadet, cum uſus prandij ex ſacris litteris innoteſcat. Nam Tobiæ cap. 2. verſ. 1. legimus: *Cum eſſet dies feſtus Do-*

Domini, & factum eſſet prandium bonum in domo Tobiæ &c. Danielis Cap. 14. verſ. 33. *Dixitque Angelus Domini ad Habacuc fer prandium, quod habes in Babylonem Danieli, qui eſt in lacu leonum.* Matth. Cap. 22. verſ. 4. Regales nuptiæ, prandium appellantur. *Ecce prandium meum paravi.* Neque deſunt prophani Auctores, qui prandiorum uſum apud antiquos nobis commemorent, nam Ælius Lampridius de Alexandro Severo ſcribit, quod aliquando prandium inibat, aliquando cibum uſque ad cœnam differebat, *prandia tamen ſæpius.* Plutarch. lib. 2. de fortuna, & virtute Alexandri ſcribit: *Alexander prandio cum primum diluculaſſet accumbebat, cœnæ verò jam apparente nocte.* Videatur Alexander ab Alexandro dierum genial. lib. 5. cap. 21. Apud priſcos autem forenſibus negocijs tranſactis plerumque fiebat prandium, quamvis in eo non ea ciborum copia adhiberetur, quæ in cœna, peractoque prandio, aliquæ brevi ſomno, ac quieti dabantur horæ, quod idem eſt ac, ut canit Horatius lib. 1. Ode 1.

Partem ſolido demere de die.

Senec. Epiſt. 84. *Hodiernus dies ſolidus eſt totus inter ſtratum, lectionemque: breviſſimo ſomno utor, & quaſi interjungo.* Et de tranquillit. vitæ cap. 1. *Quidam medio die interjunxerunt, & in promeridianas horas aliquid levioris operæ diſtulerunt.* Hoc apud Veteres meridiare dicebatur; Unde illud Job cap. 24. verſ. 11. *Inter acervos eorum meridiati ſunt, qui calcatis tor-*

torcularibus ſitiunt. Et 2. Reg. cap. 11. verſ. 2. *Accidit, ut ſurgeret David de ſtratu ſuo poſt meridiem*. Ad quam etiam conſuetudinem alludere videtur Ovid. 1. amor. Elegia 5.

Æſtus erat, mediamque dies exegerat horam
Appoſui dubio membra levanda toro.

II. Ut autem aliqua non levis ratio afferri poſſit, cur aliquando apud Veteres prandium, & cœna indifferenter uſurpentur, cum aliqua convivia prandia nominentur, quæ cœnæ vocabulo, attentis temporum circumſtantijs gauderent; nulla, & meo judicio, facilior via, quam ſi dicamus, ſolemniora convivia, quamvis revera cœnæ eſſent, nihilominus appellata fuiſſe prandia, eo quod ob multitudinem epularum, frequentiamque eorum, quibus parabatur convivium, neceſſe erat, ut ſolito maturius celebrarentur. Hinc tempeſtivà convivia dicta. Et de Floriani Imperatoris temporibus narrat Flavius Vopiſcus. *Senatores omnes ea eſſe lætitia elatos, ut domibus ſuis omnes albas hoſtias cæderent, imagines frequenter aperirent, albati ſederent, convivia ſumptuoſiora prævenirent*. Ea igitur præventa convivia poterant prandia appellari ob anticipatum tempus, cœnæ verò, quia etiam ad horam cœnæ conſuetam extendebantur. Suetonius de Nerone ait; Quod epulas *à medio die ad mediam noctem protrahebat*. Videatur Salmaſius in Floriano ejuſdem Vopiſci &c. Clariſſimè autem hoc conſtabit: attentè perlegenti

F caput

caput 22. Matthæi, ibi enim regales nuptiæ verſ. 4. prandium appellantur. *Ecce prandium meum paravi*. Et tamen ſi iſtius rei narratæ circumſtantias notemus, intelligemus profectò idem convivium hora cœnæ conſueta fuiſſe peractum: Nam, ut narratur verſ. 13. Cum intraſſet Rex, ut diſcumbentium ordinem, qualitatemque obſervaret, ibique reperiſſet hominem non veſtitutum veſte nuptiali, prout tanta celebritas depoſcebat, illum à convivio rejectum ligatis manibus, ac pedibus miſit in tenebras exteriores. Certè, ut obſervant antiqui Scriptores, Cœnacula lampadibus, facibuſque ornabantur. Virg. Æneid. lib. 1.

Poſtquam prima quies epulis, menſæq; remotæ
Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant
Fit ſtrepitus tectis, vocemq; per ampla volutant
Atria, dependet lychni laquearibus aureis
Incenſi, & noctem flammis funalia vincunt.

Propert. lib. 3. Eleg. 8.

Dulcis ad externas fuerat mihi rixa lucernas.

Lucret. lib. 2.

Lumina nocturnis epulis, ut ſuppeditentur.

Stat. lib. 1. Theb.

Aſt alij tenebras, & opacam vincere noctem
Aggreſſi tendunt auratis vincula lychnis.

III. Atque adeò juxta parabolam in Sacro Evangelio expreſſam miſſus ad exteriores tenebras, excluſus fuit à loco Convivij; Convivium igitur illo

para-

parabatur tempore, in quo exterius tenebroſus erat aer. Quare autem prandium appellatur, cum hæc omnia cœnæ potius, quam prandio aptentur, niſi quia ob diſcumbentium numerum, & ſolemnitatem Convivij, neceſſe erat horas cœnæ conſuetas prævenire?

IV. Neque hic ſunt prætereundæ ſilentio reliquę conſuetudines, quæ à populo Judaico in Convivijs ſervabantur, & quas reprehendit Propheta noſter nempe *cithara, & lyra, & tibia, & tympanum, & vinum in Convivijs veſtris*. Hunc morem receptum apud varias gentes fuiſſe ſcribit Cicer., ex Marco Catone de Originibus, inquit enim lib. 4. Tuſculan. quæſt. *Graviſſimus Auctor in originibus dixit Cato, morem apud majores hunc epularum fuiſſe, ut deinceps qui accubarent, canerent ad tibias clarorum Virorum laudes, atque virtutes*.

V. Sic Virgilius, cujus carmina paulo ante citavimus lib. 1. Æneidos Jopam cithara canentem introducit. Sic Horat. lib. 3. Ode 2.

Tuque teſtudo reſonare ſeptem
Callida nervis
Divitum menſis, & amica templis.

Silius quoque Italic. lib. 6. Punicor.

Cui nocturnus honos, funalia clara, ſacerque
Poſt epulas Tibicen adeſt.

Videatur Roſinus antiquitatum Rom. lib. 5. cap. 29. & ibidem Paralipomena Dempſteri. Videatur Ale-

xander ab Alexandro dier. genial. lib. 5. cap. 21. Hunc morem, ſeu potius abuſum cantus, & citharæ, quibus ad hortamenta virtutum fortaſſe primi homines utebantur, deridet Arnobius, & exprobat Gentilibus, qui ſuis nimium voluptatibus indulgebant, ait enim lib. 4. *Scribuntur Dij veſtri in tricliniјs cœleſtibus, atque in chalcidicis aureis cœnitare, potare; & ad ultimum fidibus, & vocum modulatione mulceri.* Certè cum nondum voluptates animos hominum tam frequenter pervaſiſſent alia erat cibi, ac potus conſuetudo, poſtquam enim cibo, homines juſtitiæ amatores corpus reficiebant, ut promptius, atque expeditius animo majora operanti deſerviret, Deo bonorum omnium largitori gratias peragebant, & ſi quid in convivio proponebatur, hoc aut de virtutibus erat, aut de his, qui aſſidua virtutum imitatione laudes apud poſteros ſibi comparaverant. Quæ conſuetudo hodie etiam retenta eſt, ut qui religionis Sacramento adſtringuntur, quique Chriſtianæ pietatis ſtudijs exercentur, aliquid in menſa, vel de Sacra Scriptura, vel de Sanctorum geſtis proponant: ut non tam fauces guſtent cibum, quam aures eſuriant Verbum Dei. Remota autem menſa gratiæ Deo perſolvantur, exemplo Chriſti Domini, qui conveſcens cum Diſcipulis ſuis non alios, quam de conſtantia, & patientia in perferendis paſſionibus, ac de perfecta ſui imitatione ſermones miſcuit, ac demum Euchariſtico hymno temperatæ refectionis cœremo-

monias complevit. Vide Matth. cap. 26. verſ. 30. ubi legimus, & *hymno dicto exierunt in montem Oliveti*. Item Marci cap. 14. verſ. 26. Vid. Tertull. in Apolog. loc. cit. Contra verò, homines ventri, ac voluptatibus dediti, veroque Dei cultu exuti, vino languidi, confecti cibo, non divina beneficia in memoriam redigebant, non quid eſſet laude dignum, atque imitandum proponebant, ſed eructabant ſermonibus ſuis cœdem bonorum, virtutumque omnium exeterminium. Hinc conqueritur David pſ. 68. verſ. 13. *Adverſum me loquebantur qui ſedebant in porta, & in me pſallebant qui bibebant vinum*.

VI. Sed ut Iſaiæ verbis hæreamus. Non eſt mirandum, quod cum ille prius dixiſſet: *Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis*. Iterum verſ. 12. repetat *cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in convivijs veſtris*. Et verſ. 22. ejusdem cap. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem*. Nam in primo verſu ſub generalibus verbis ebrietatem, bibendique intemperantiam damnat, in cæteris verò convivia, quæ gentilium cæremonijs celebrabantur; unde cum dicit: *tibia, & vinum*, non reprehendit abſolutè uſum vini, quod, ſi moderatè adhibeatur, vitales ſpiritus fovet, animumque recreat, ſed vinum, quo in convivijs utebantur adhibitis gentium ſolemnitatibus. Quod quidem clariſſimè deducere poſſumus

ex

ex antecedentibus, & ſubſequentibus, nempe *tibia, & vinum*. Et verſ. 22. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum*. Antiquiſſimus enim mos fuit, ut fercula lautiora, & exquiſita à Coronatis Miniſtris cum cantore, ac tibicine deferrentur, utque poculis coronatis biberent, ſingulisque poculis adſtante cantorum turba ſingulos Deos, aut amicos advocarent. Virgil. 3. Æneidos.

Tum pater Anchiſes magnum cratera corona
Induit, implevitque mero divoſque vocavit.

VII. Hinc decantatum illud adagium Græco more bibere, Græcis enim in convivijs leges promulgatæ, ut aut biberent, aut abirent, utque majoribus poculis biberent dum Deos, aut amicos ſalutabant, totq; exhaurirent, quot amici nominabantur, quotq; Dij invocabantur; Unde Cicero Actione 3. in Verrem: *Fit ſermo inter eos, & invitatio, ut Græco more biberetur: hoſpes hortatur, poſcunt majoribus poculis, celebratur omnium ſermone, lætitiaq; convivium.* Et lib. 5. Tuſculan. quæſt. *Mihi ait quidem in vita ſervanda videtur illa lex, quæ in Græcorum convivijs obtinetur, aut bibat inquit, aut abeat, & rectè. Aut enim fruatur aliquis pariter cum alijs voluptate potandi, aut ne ſobrius in violentiam vinolentorum incidat, ante diſcedat. Sic injurias fortunæ quas ferre nequeas defugiendo relinquas.* De poculis repetitis ad invocationem Numinum, & ad numerum litterarum, quas amicorum nomina continebant,

bant, plura extant apud Veteres. Vid. Martial. lib. 1. Epigr. 39.

Nævia ſex cyathis, ſeptem Juſtina bibatur
Quinque lycas, Lide quatuor, Ida tribus
Omnis ab infuſo numeretur amica falerno,
Et quia nulla venit, tu mihi ſomne veni.

Ovid. lib. 3. faſtor.

Sole tamen vinoq; calent annoſq; precantur
Quot ſumunt cyathos ad numerumq; bibunt
Invenies illic qui Neſtoris ebibat annos,
Quæ ſit per calices facta ſybilla ſuos.

Horat. denique lib. 3. Ode 29.

Da lunæ properè novæ
Da noctis mediæ, da puer auguris
Murenæ tribus, aut novem.
Miſcentur Cyathis pocula commodis,
Qui muſas amat impares
Ternos ter Cyathos attonitus petet.

VIII. Quod verò multi ex Veteribus potentiam ad bibendum oſtenderint, & fortitudinem ad miſcendam ebrietatem ex ipſis veterum monumentis colligitur. Nam Tiberius Cæſar, ut refert Suetonius cap. 42. Biduum, & duas noctes potu continuabat. De Bonoſo autem narrat Flavius Vopiſcus, quod biberet quantum nemo alius, atq; de eo pronunciaſſe Aurelianum Imperatorem: Bonoſum non ut viveret natum fuiſſe, ſed ut biberet. Laertius in Vita Zenocratis, ſive ut alij ſcribunt Xenocratis, teſta-

teſtatur eumdem, invitante Dionyſio vini choam hauſiſſe, & præmium tuliſſe. Quin & Mitridates tantæ bibacitatis accuſatur, ut plus haurientibus præmia proponeret. Nicolaus Peripateticus in 103. hiſtoria, quem citat Alexander ab Alexandero dierum gen. lib. 5. cap. 21. Quid plura? De Firmo narrat Flavius Vopiſcus, quod fuit ei contentio cũ Aureliani ducibus ad bibendum; Nam quidam Barburus nomine de numero vexillariorum notiſſimus potator cum ad bibendum eumdem provocaſſet, ſitulas duas plenas mero duxit, & toto poſteà convivio ebrius fuit.

IX. Cum autem in convivijs ſe ad bibendum potentes, ac fortes oſtenderent Judæi, & ab antiquo um Patrum temperantia recedentes, corruptos Gentium mores, rituſq; imitarentur, merito reprehenduntur à Propheta noſtro; quod ijs vitæ commodis, quibus ad pietatem, viam ſibi parare debuerant, impiè abutebantur, Divinamque beneficentiam offendebant, & ideò inquit: *Et opus Dei non reſpicitis, nec opera manuum ejus conſideratis.* Omnia homini Deus conceſſit, non ut rebus ſerviret, ſed frueretur. Ludens in orbe terrarum ſapientia, voluit, ut deliciæ ſuæ eſſent inter filios hominum. Et ut homines, quos uſque ad delicias amavit, delicias ſuas extra Orbem quærerent, delectarentur ab ubertate Domus Dei, ſegregatique à caducis rebus; quæ occidunt, & ſeneſcunt torrente Divinæ voluptatis potarentur. Al-

licit

licit nos Cœleſtis amor rerum utilitate, ac pulchritudine, ut per ipſa rerum creatarum veſtigia, & per ea, quæ ſubiecta ſunt pedibus noſtris, ad incommutabile bonum, ad ſummam pulchritudinem traducamur. An qui omnia ſervis donat, ideò donat, ut rebelles faciat, aut ut in amore contineat?

Deus nobis hæc otia fecit.

X. Sed Deus ille, qui liberaliſſima ſua dextera tot, tantaque homini contulit beneficia hominem ipſum ad ſe vocavit, voluitque, ut terrena, quibus fruitur, eſſent ſtipendia corporis animæ ſervientis, non autem merces, aut finis animæ immortalis, quam ſola beata Patria recreat, ſolus Deus verè allicit, & implet. Hinc turpe, atque indecorum eſt, ut homines ſignati lumine Divini vultus in tenebris verſentur, nec opera manuum æterni artificis conſiderent. Divinum donum eſt quidquid ad Corporis conſervationem, utilitatemque recipitur, & hominem, quem nudum, pauperemque expoſuit natura ſuis bonis ditat naturæ auctor, omniumque rerum Conditor Deus, ut ad primum omnium principium accepta bona referantur, totuſque Dei ſit homo ipſe, in cujus admirabili formatione ſeſe Divina manus exercuit.

Digitized by Google

DISSERTATIO
S E X T A
IN CAP. V. VERS. XIV.

PRoptereà dilatavit Infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino, & deſcendent fortes ejus, & Populus ejus, & ſublimes, glorioſique ejus ad eum.

VOx Inferi variè in Sacra Scriptura uſurpatur. Exemplum Job 14. *v.* 13. *Infernus alia nomina ſortitur. Exempl. Pet. cap.* 2. *v.* 9. *Tartarus ex Plutarcho unde dictus. Infernus quare dicatur terra miſeria. Origo vocis* Tophet, & Gehennæ. *Idolum Moloch quid? verſus* 10. *cap.* 23. 4. *Reg. explicatur. Item exempl. Matth.* 11. *verſ.* 42., *&* 25. *v.* 41. *Luca* 16. *v.* 24. *Apocalipſ.* 14. *v.* 10., *&* 20. *v.* 9., *&* 21. *v.* 8. *Apud Prophetam nomen Inferni refertur ad ſepulchrum, & quare, qua expoſitio conſonat cum v.* 25. *hujus Capitis. Stipendium peccati mors. Aliud e mundo exire aliud mori. Miſeria in S. Scriptura umbra mortis dicuntur. A peccatis omnia mala oriuntur. Sicut mulieres in partu dolent, ſic peccatores injuſtitiam concipientes, Iracundi deſcriptio. Virtus res facilis vitium, difficilis. Peccatum eſt etiam mortis ſtimulus. Deus non lætatur in perditione vivorum. Nos quoties peccamus toties mortem vocamus. Omnibus tempus naſcendi, moriendique deputatum eſt. Cap. Ezechiel.* 22. *explicatur, Charitas ædificat, peccatum ſubvertit.*

I. Cum

Google

I. CUm hæc vox Infernus variè in ſacris literis ſoleat uſurpari, atque ex ejus explanatione amplus ſeſe nobis ad Divinam eruditionem campus aperiatur, ideò non inutile exiſtimo, ſi in ejusdem vocis varietate exponenda aliquantulum immoremur.

II. Solet Inferni nomine denotari omne id, quod profundum eſt, ac latens; ſic Job cap. 26. *Nudus eſt Infernus coram illo*. Generaliter quoque nomine Inferni ſignificantur ipſa remotiſſima terræ latibula, & ſecretiſſima terræ viſcera, ſic Pſal. 138. *Si aſcendero in Cœlum, tu illic es. Si deſcendero in Infernum, ades*, ubi pariter advertendum, ſignificationem Inferni extendi ad omne id, quod eſt Cœlo inferius, ac ſublunare. Frequentiſſimè autem Inferni vox pro ſepulchro apponi ſolet, ut Job 14. verſ. 13. *Quis mihi hoc tribuat, ut in Inferno protegas me*. Vertit Pagninus: *utinam in ſepulchro abſcondas me*. Et Menoch. exponit: *Quaſi dicat libenter ſi fieri poſſet vita carerem toto hoc tempore, quo me cruciari finis*. Sumitur denique hæc vox ad denotanda inferiora illa remotiſſima loca, ſeu carceres, quibus animæ detinentur, & hinc aliquando limbum, aliquando purgatorium, aliquando miſerrimum impiorum damnatorum ſtatum ſignificat, ut perſpicuum eſt unicuiq; Divinas Scripturas legenti.

III. Infernus autem prout infeliciſſimum damnatorum locum generaliter exprimit, alia quoque, & varia ſolet nomina ſortiri. Nam dicitur Tartarus, quæ quidem vox ſemel in novo Teſtamento occurrit, ut 2. Petri cap. 2. verſ. 4. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus Inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos.*

IV. Antiqui, quos refert Plutarchus de conſolatione ad Apollonium, Tartarum appellabant δίκης καὶ τίσεως δεσμωτήριον ideſt Carcerem juſtitiæ, atque ultionis, unde Virgilius 6. Æneidos.

Hic locus eſt, partes, ubi ſe via findit in ambas
Dextera, quæ Ditis magni ſub mœnia tendit
Hac iter Eliſium nobis: ſed læva malorum
Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.

Tartarum autem ſic dictum volunt a verbo ταράττω quod eſt Conturbo, eo quod in illo miſerrimo Carcere omnia perturbata ſint, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitet. Tartarus etiam dici poteſt infelix ille Carcer à tremore frigoris. Unde idem Plutarchus in opuſcolo de primo frigido ſic ait. *Sicut ergo ſplendore deficiente tenebroſus ſit aer, ita calore deficiente, quod reſtat, nihil aliud eſt, quam aer frigidus, ita etiam Tartarus dicitur à frigore, quod etiam Heſiodus docuit Tartarum appellans aeroſum, & qui horrore tremunt, ac quaſſantur* ταρταρίζειν *dicuntur.*

V. Tenebroſum, umbroſumq; locum nomine Tar-

Tartari deſcripſit Virgilius eodem lib. 6.

Tum Tartarus ipſe
Bis patet in præ eps, tantum tenditq; ſub umbras
Quantus ad æthereum Cœli ſuſpectus Olympum.

VI. Infernus etiam Job cap. 10. verſ. ult. dicitur terra miſeriæ, & tenebrarum, quia videlicet infelices animæ, quæ Deum ſummum bonum dereliquerunt, æternamque hæreditatem amiſerunt, perpetuis miſerijs mancipantur, verſanturque in horribilibus tenebris ejectæ à Patre luminum, cujus vultu omnia beantur, atque illuſtrantur.

VII. Neque minori animadverſione digna ſunt alia nomina, quibus uti ſolet Divina Scriptura, ut non tam horrendum illum damnatorum locum, quam ſupplicia ſignificet. Nam Iſaiæ 30. verſ. ult. legimus: *Præparata eſt enim ab heri Tophet, a Rege præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta ejus ignis, & ligna multa: flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccedens eam.* Marci autem cap. 9. verſ. 43., & ſeqq. locus damnatorum *Gehenna* dicitur, & qui malo exemplo alios ad peccandum inducunt, dicuntur *ire in* Gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Harum autem duarum vocum *Tophet, & Gehennæ* origo altius repetenda eſt. Nempè à Cæremonia illa, qua Idolo Moloch filij à Veteribus conſecrabantur, ut videre eſt 4. Reg. cap. 23. verſ. 10. ubi expreſſum reperitur. *Contaminavit quoque Tophet*

pheth

Digitized by Google

pheth quod eſt in Convalle filij Ennom: *ut nemo conſecraret filium ſuum, aut filiam per ignem Moloch.* Idolum hoc erat ab Ammonitis inventum, quos Judæi fœda quadam ſuperſtitione ſunt imitati, erat autem ſtatua quædam concava, intus verò ab igne ſubſtructo cadens, in quam per Sacerdotum manus concremandi pueri introducebantur; Et ne ipſorum lamentis, ac commiſeratione parentum, ſacrificia perturbarentur, pulſabantur interim tympana, ac omnis illa vallis confuſis clamoribus perſonabat. Hæc vallis Ennom cujusdam Jebuſæi, erat pars quædam vallis Cedron, appellabaturque Tophet à nomine Hebraico תף Toph, quod tympanum ſignificat, *Gehenna* autem, ac *Ennom* a נחם Nahem, quod idem eſt, ac ingemuit. Quia autem in Inferno ſempiterni ſunt ardores, confuſiſque clamoribus horrendi illi vindictæ, ac juſtitiæ Carceres replentur, ideo ut in animis hominum atrociſſima ſupplicia imprimerentur, ad illa exprimenda, locus ille notiſſimus adductus eſt, & horrens cæremonia cujus erat apud Hebræum populum frequens commemoratio.

VIII. Prætereo cæteras voces ad expreſſionem terribilis hujus loci, & æternorum ſuppliciorum adhibitas, ut Matth. cap. 11. verſ. 42. *Mittent eos in caminum ignis*. Et cap. 25. verſ. 41. *Ite maledicti in ignem æternum*. Luc. 16. verſ. 24. *Crucior in hac flamma*. Apocalip. 14. verſ. 10. *Cruciabitur igne, ac ſulphure*. Et cap. 30. verſ. 9. *Miſſus eſt in ſtagnum ignis*.

Digitized by Google

ignis. Et cap. 21. verſ. 8. *Pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure.*

IX. Ut autem redeamus ad expoſitionem verſus 14. noſtri Prophetæ, ubi inquit: *propterea dilatavit Infernus animam ſuam*. Quamvis prophetica dicta poſſint ad ipſum Infernum referri, prout eſt infelix damnatorum, omniumque ſuppliciorum teterrimus Carcer, quem promeruerant Judæi, idololatriæ, ventri, atque libidini dediti, hic tamen poteſt commodè aptari ſepulchro; Eo quod in ipſa convalle Cedron propè quam erat, & ara Toph, & Gehenna, communia Judæorum ſepulchra reperirentur. Ut videre eſt 4. Reg. cap. 23. verſ. 6. ubi de Joſia legimus. *Et efferri fecit lucum de domo Domini foras Jeruſalem in convalle Cedron, & combuſſit eum ibi, & redegit in pulverem, & projecit ſupra ſepulchra vulgi.* Cum autem & Toph, & Gehenna Infernus dicantur, Infernuſque appelletur ſepulchrum, ut ſupra expoſuimus, poterit hic locus non tam de Inferno intelligi, prout eſt locus damnatorum, quàm de ſepulchro. Quaſi dicat Propheta, dum neglecto Domino, quem laudare quotidie debetis ob eximia, ſummaque accepta beneficia, ora veſtra ad cantus, ad epulas, ad ebrietatem aperiuntur, etiam ſepulchra os ſuum aperiunt, ſeque abſque ullo termino dilatant, ut vos deglutiant. Quem hoſtium gladius non interfecerit, vel crapula, vel fames, vel libido occidet. Veſtris ſceleribus provocabitis mortem,

quæ

quæ vobis longam, ac felicem vitam promittebant. Conſonat hæc expoſitio cum verſ. 25. hujus capitis, ubi legimus: *Et facta ſunt morticina eorum quaſi ſtercus in medio platearum.* Quibus verbis denotat Propheta, Deum ſui populi ſcælera temporali etiam morte puniturum.

X. Eſt mors ſtipendium peccati, nec illa terrarum Orbem pervaſiſſet, ſi homines in juſtitia, quam a Deo acceperant, perſeveraſſent. Omnes cum primo Parente in pomo guſtavimus mortem: dictum ei fuerat à Domino Geneſ. 2. verſ. 17. *De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Iſtius legis tranſgreſſio mortem introduxit. Nec putare debemus divina eloquia non fuiſſe adimpleta, quia guſtato pomo, non ſtatim mortuus ſit primus parens. Aliud enim eſt è Mundo exire, aliud eſt mori, unum à miſerijs, & calamitatibus eripit, alterum inter miſerias verſatur. Unum eſt deſinere mori poſſe, alterum ſemper mori. Quotidie morimur, quotidie nobis demitur pars aliqua vitæ, & tunc etiam cum creſcimus vita ipſa decreſcit. Voluit Deus juſtiſſimus ultor, ut atrociorem experiremur mortem, quo pœna fuit productior. An non mors continua, conflictari cum laboribus, cum timore, cum ſolicitudinibus, quæ nos quotidie torquent, vexant, ac veluti in varias partes diſcerpunt? *Verti me ad alia*, inquit Eccleſiaſtes cap. 4. *Et vidi calumnias, quæ ſub Sole gerun-*

geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem conſolatorem, nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ cunctorum auxilio deſtitutos. Et laudavi magis mortuos, quam viventes: Et feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus eſt, nec vidit mala, quæ ſub Sole fiunt.

XI. Hinc eſt, quod miſeriæ, anguſtiæ, cæteræque calamitates, quæ ob peccatum ſeſe in omne genus humanum ſimul effuderunt, *umbræ mortis* in ſacris literis appellantur; Et præcipuè Pſ. 43. verſ. 21. *quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis, cooperuit nos umbra mortis*, nam ut inquit Nicephorus: *umbra modo quodam exemplar imitatur, umbram igitur mortis, morti ſimiles afflictiones vocavit*. Fruſtra de rerum natura conquerimur cum illa nobiſcum benignè ſe geſſerit, fruſtra aut elementorum viciſſitudines, aut vitæ miſerias, aut hominum inconſtantiam, invidiamque accuſamus, cum potius lugere, & accuſare debeamus vitia, quæ omnium malorum origo extiterunt. Superbia, avaritia, libidine, ira, gula, invidia, torpore, mala omnia provocantur, gladius mortis acuitur, & dum longioris vitæ ſpes allicit, effodiuntur ſepulchra. O vitam peccatorum infelicem miſerijs, ac doloribus plenam, mortis ſociam, ſepulchrorum incolam! Si peccati ſupplicium eſt, ut non ſine dolore à mulieribus partus effundantur; Etiam peccati pœna eſt, ut qui injuſtitiam parturiunt, acerrimos dolores concipiant, quibus affligantur, & quotidianæ morti damnentur. *Ecce* de peccato-

H re

re cecinit Propheta pſ. 7. verſ. 15. *parturit injuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem, lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit*. Unde hic Cryſoſtomus inquit; *Quemadmodum ergo qui improbè vivit tanta patitur, ita qui vitam ex virtute inſtituit, tranquillitate, & mente minimè perturbata fruitur. Conſidera autem ſi voluerit quis ulciſci quempiam, vel prior injuriam facere, vide quot mala patitur: furore repletur, ab ira diſcerpitur, movet innumerabiles fluctus cogitationum; mille vias ingreditur, invadit timor, pavor, ac tremor: Quomodo offendet, quomodo ulciſcetur. Et ante eum, quem eſt injuria affecturus: ſe ipſe perdit. Qui autem iram expulit ab omnibus liber eſt, & jure certè: hoc enim eſt in ejus poteſtate, & univerſum confecit, at illud non itidem, ſed et oportunitate opus eſt, & loco, & dolo, & maleficio, & armis, & machinationibus, & offenſionibus, & adulatione, & ſervitute, & ſimulatione. Vides quam facilis res ſit virtus, difficilis autem vitium: Quemadmodum illa quidem eſt tranquilla, hoc verò turba, & tumultu refertum. Id ergo deſcribens dicebat Propheta: Ecce parturijt injuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Ex hoc oſtendit injuſtitiam non eſſe nobis ſecundum naturam, ſed eſſe quid alienum: & ideò grave eſt, & donec ab eo fuerimus liberati, nobis dolores immittit.*

XII. Merito Gentium Doctor non tam mortem appellat ſtipendia peccati ad Rom. cap. 6., quam

pri-

prima Corinth. cap. 15. peccatum vocat mortis ſtimulum. *Stimulus autem mortis peccatum eſt*. Nam ut inquit D. Fulgentius de incarnat. & gratia cap. 12. in fin. *Homo igitur in terram carne non iret, ſi terra peccando non fieret*. Si

Pallida mors æquo pulſat pede
Pauperum tabernas, regumq; turres.

XIII. Si inexorabili falce ſuccidit erumpentes verno flores, ſi fugientes apprehendit, robuſtos opprimit, non mortis culpæ, ſed hominum vitio imputandum eſt. Hinc Sapientiæ cap. 1. expreſſum eſt. *Nolite zelare mortem in errore vitæ veſtræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum veſtrarum. Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Juſtitia enim perpetua eſt, & immortalis: Injuſtitia autem mortis eſt acquiſitio*. Quaſi dicat Pater ille Cœleſtis innocentiæ ſtola hominem à ſe creatum induit, atque ut Beatos perennes, omniumque malorum expertes dies ageret inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ. At Diaboli invidia, ipſiuſque hominis culpa, mors, quæ innocentibus fuiſſet ignota, terrarum orbem ingreſſa eſt, & quoties à Deo, qui vera vita eſt peccando avertimur, toties mortem vocamus, ipſique ſtimulos addimus, ut properet, ut occidat. Vindicta, ſimulatione, impietate, injuſtitia, mors ab hominibus provocatur. Nam pſ. 54. legimus: *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*. Et Eccleſiaſt. cap. 7.

ne impiè agas multum, & noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo. Tempora vitæ malè vivendo diſſipamus, & cum unicuique hominum, & tempus naſcendi, & tempus moriendi deputatum ſit, ipſa luctuoſa mortis momenta culparum morte prævenimus, & antevertimus. Hinc Propheta Ezechiel cap. 22. impiæ Jeroſolimæ prædixit: *in ſanguine tuo, qui à te effuſus eſt deliquiſti, & in idolis tuis, quæ feciſti polluta es: & appropinquare feciſti dies tuos.* Et Job cap. pariter 22. ait: *Viri iniqui, qui ſublati ſunt ante tempus ſuum, & fluvius ſubvertit fundamentum eorum.* Quis autem eſt iſte fluvius ſubvertens, niſi peccatum? Et quemadmodum fundamenta juxta fluviorum impetum jacta ſi ſolidis corporibus non innitantur, neceſſe eſt, ut prætereuntium aquarum motu concutiantur, & obruantur, ita inundantibus uſque ad animam peccatorum aquis,omnia corruunt felicitatis fundamenta, quæ eò ſtabilia, inconcuſſa; ac permanentia erunt, quo fuerint ædificante charitate firmata. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Quicumque ergo mortem, ac Gehennam timent, culpam oderint, & execrentur. Sectentur charitatem, cujus ædificia ſolida, ac firma ſunt, & imitatores viri ſapientis domum ſuam ædificent ſupra firmam petram. Memores ſententiæ Chriſti Domini, qui firma petra eſt, & lapis angularis, *quia omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus Cæleſtis, eradicabitur.* Matth. 15.

DIS-

DISSERTATIO SEPTIMA

IN ISAIÆ CAP. VI. VERS. 1. 2. 3. 4. 5.

IN anno, quo mortuus eſt Rex Ozias vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum, & ea quæ ſub ipſo erant replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ uni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus. Et commota ſunt ſuper liminaria cardinum a voce clamantis, & domus repleta eſt fumo. Et dixit væ mihi quia tacui; quia vir pollutus labijs ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.

PRopheta noſter non temerè annum Oziæ memorat, & ratio. Hæc viſio fuit anno 68. Regis Oziæ. Opiniones Hieron. Origen., Cyrilli, Chryſoſt., & Procop. quare Deus diſtulerit loqui per Prophetas Judæis. Apud Hebræos tria erant caſtra. A caſtris Levitarum omnis Leproſus erat arcendus. Verba Procopij. Propheta videt Dei filium, qui interdum Prophetis manifeſtabatur, & quare. Evangelio probatur. Iſaiæ fuiſſe revelatam gloriam filij Dei ex PP. ſententijs confirmatur. Variorum opiniones de pſ. 44. examinantur, & firmatur convenire Meſſiæ. Tertull. verba de revelato PP. antiquis filio Dei, & Leonis Magni. D. Auguſt. verba ad hujus ſententiæ confirmationem. Non erat tutum palàm Judæis carnalibus enunciare generationem filij ex Patre Deo.

Non

I. NOn temerè, aut vanè annum mortis Regis Oziæ, qui & Azarias alibi appellatur præcipuè 4. Regum cap. 15. commemorat Propheta noſter, vult enim, ut habita prius notitia vitæ, ac mortis iſtius Regis, ex literali ſenſu, rerumque circumſtantijs ad altiora traducamur. Quod, ut facile fiat, jam vocamur ad caput 26. libri ſecundi Paralipomenon, ubi tota iſtius Regis hiſtoria expreſſa eſt; dicitur enim verſ. 3. quod *ſedecim annorum erat Ozias cum regnare cœpiſſet, & quinquaginta duobus annis regnavit in Jeruſalem*. Ex quo colligitur hanc Propheticam Viſionem poſt mortem ipſius Regis contigiſſe, nempe anno 52. Regni, cui ſi ſedecim annos adieceris fient anni 68. ætatis ipſius Regis Oziæ. Fideliter autem enarratis ab initio ijs, quæ in bello, ac pace geſſerat. Legimus tandem verſ. 16. & ſeqq. *Sed cum roboratus eſſet, elevatum eſt cor ejus in interitum ſuum, & neglexit Dominum Deum ſuum: ingreſſuſque Templum Domini adolere voluit incenſum ſuper altare thymiamitis. Statimq; ingreſſus poſt eum Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta, reſtiterunt Regi, atque dixerunt: Non eſt tui officij Ozia, ut adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum, hoc eſt filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad hujuſcemodi miniſterium: egredere de Sanctuario, ne contempſeris:*

quia

quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. Iratuſq; Ozias tenens in manu thuribulum, ut adoleret incenſum minabatur Sacerdotibus. Statimq; orta eſt lepra in fronte ejus coram Sacerdotibus in domo Domini ſuper altare thymiamatis. Cumq; reſpexiſſet eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes viderunt lepram in fronte ejus, & feſtinatò expulerunt eum. Sed, & ipſe perterritus acceleravit egredi, eo quod ſenſiſſet illicò plagam Domini. Fuit igitur Ozias Rex leproſus uſq; ad diem mortis ſuæ, & habitavit in domo ſeparata plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de Domo Domini.

II. Multi ex ſacris Interpretibus, inter quos Hieronymus, Origenes, Cyrillus, Chryſoſtomus, Procopius, iſtius rei narratæ circumſtantias perpendentes, aiunt, quod ideo uſque ad mortem Regis Oziæ diſtulerit Deus loqui per Prophetas ſuos cum Judaico populo, eo quod ille præſentia Regis leproſi contaminaretur, quem ex præcepto Domini non debebat in Urbe detinere, ſed extra mœnia eijcere, & exturbare, ut conſtat Numerorum cap. 5. verſ. 1. *Præcipe filijs Iſrael, ut eijciant de caſtris omnem leproſum &c.* Apud Hebræos autem tria erant caſtra, nempe caſtra Dei, ſive tabernaculum, caſtra filiorum Iſrael, & caſtra levitarum, à quibus omnibus debebat leproſus arceri, unde cum Judæi mitius agerent cum Ozia, eum quamvis in domo ſeparata intra urbem tamen detinentes, ideo tota Urbs à contami-

nati Regis habitatione polluta cenſebatur. Audiamus veluti compendium cæterorum PP. quos retulimus, Procopium, qui hoc caput exponens de Iſaja ait: *Vidi Dominum Sabaoth, ſed Rege Ozia non amplius ſuperſtite. Ille enim pius initio rerum felici ſucceſſu eò elatus eſt, ut ſacrum miniſterium uſurpare non dubitaret, donec efflorescente lepra in fronte, abdicatus eſt. Et quamquam legis præcepto extra caſtra leproſus, tamquam impurus pelli juberetur. Hieroſolima tamen ſcedere recuſans, totam Urbem præſentia ſua pollutam, impuramque reddidit. Inde eſt quod tacuit Dominus, Prophetas ſuos alioquin minimè dedignatus, ſed eorum doctrina indignos arbitratus, qui eamdem cum homine impuro Civitatem incolerent.*

III. Si etiam perlegamus, quæ Numerorum cap. 12. & 18. ſcripta reperiuntur, ſtatim intelligemus, quo Sacerdotes illi, populuſque Hebræus contra præceptum Domini ſe mitiſſimè egerint cum prævaricante Rege; illi enim jura, ac Sacerdotum officia ſibi aſſumenti capitalis pœna debebatur. Sed ad textum redeamus.

IV. *Vidi Dominum.* Quem Dominum vidit Propheta, niſi Dei filium, qui antiquis Patribus, ac Prophetis, ſub aliqua viſibili ſpecie ſeſe aliquando manifeſtabat, ut ad magnum illud, atque ineffabile pietatis ſacramentum homines diſponeret, utque æternam ſapientiam in Orbe terrarum ludentem, ſuaſque delicias inter filios hominum collocantem, deſcen-

deſcenſuram tandem in terras certiſſimè expectarent! *Vidi Dominum. Eſt autem is*, inquit Procopius, *procul dubio unigenitum Dei Verbum, quod in Patris ſinu recumbens, ſummiſſa aliquando peculiaris gloriæ magnitudine, videndum ſe hominibus præbuit. Viſus Abrahamo perſæpe Scriptura teſte etiam in hominis ſpeciem transformatus; nimirum cum ſub quercu eſſet, cum ei pedes ablueret, cum menſæ fieret particeps*. Gen. 18. *Viſus eſt & Iſaaco ſæpe, & Jacobo, qui luctantem hominis more eumdem expertus eſt*. Gen. 21. Atque ut huic tam ſublimi expoſitioni id non deeſſet, quo ſibi auctoritatem conciliaret; ſtatim adducitur teſtimonium Joannis cap. 12. verſ. 37. 38. 39. 40. & 41. ibi enim deſcribit Evangeliſta Judæorum perfidiam, & cœcitatem, qua Chriſti doctrinam reſpuebant, inquit enim: *Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum. Ut ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine quis credit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt?* Cap. 53. verſ. 1. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias. Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos*. Iſaiæ 6. verſ. 10. His narratis ſtatim ait Evangeliſta: *Hæc dixit Iſaias quando vidit gloriam ejus, & locutus eſt de eo*. Conſtat ergo ex ipſo Evangelio gloriam filij Dei, Prophetæ noſtro fuiſſe revelatam, ut annunciaret eumdem in bea-

ta temporum plenitudine adventurum.

V. Non deſunt etiam illuſtria Patrum antiquorum Teſtimonia, quibus hæc eadem veritas proponatur. Nam D. Clemens Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 5. cap. 40. pag. mihi 325. in editione Coteleriana ſic ait: *Hunc Jacobus tamquam hominem vidit, & dixit; vidi Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea. Hunc Abrahamus hoſpitio exceptum confitebatur judicem, ac Dominum ſuum: Hunc Moyſes in rubo vidit, & de eodem in Deuteron.* 18. *verſ.* 15. *dixit: Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus ex fratribus veſtris, ſicut me: ipſum audietis ſecundum omnia, quæ locutus fuerit vobis: Et erit, omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum exterminabitur de populo ſuo. Hunc vidit Jeſus filius Nave ducem exercitus, ac virtutis Domini, armatum, & ſubſidiarium in expeditione Hierichuntina, quem & procidens adoravit, ut ſervus Dominum. Joſue* 5. *verſ.* 14. *Hunc Samuel reſpiciens Chriſtum Dei Sacerdotes, & Reges Chriſtos nominavit. Hunc David cernens Canticum de eo pſallebat inſcribens Canticum pro dilecto, atque hæc verba de perſona ipſius ſubiungens: Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſimè ſpecie tua, & pulchritudine tua intende proſperè procede, & regna.* 1. Reg. 12. verſ. 13.

VI. Quoniam autem hoc D. Clementis teſtimonium, ut Davidem de Chriſto locutum eſſe affirmet

titu-

titulum pſalmi 44. aſſumit, qui eſt *Canticum* pro dilecto, ideò nos ad iſtius auctoritatis explanationem, & propoſitæ veritatis confirmationem aliqua breviter adducemus. Sunt qui putent connubium Salomonis cum Regis Ægipti filia in hoc pſalmo celebrari, eo quod in ejus titulo legatur: Canticum pro dilecto, qua ultimà voce Salomonem deſignari exiſtimant, qui 2. Regum cap. 12. verſ. 25. appellatur amabilis Domino. Hæc autem ſententia omninò reijcienda eſt, quia videlicet Doctrinæ D. Pauli ad Hebræos cap. 1. verſ. 8. & 9. ſcribentis, quin & Chaldæi Paraphraſtis, multorumque Interpretum ſententiæ adverſetur. Omnes enim hunc pſalmum Chriſto vero Meſſiæ aptè convenire affirmant, & minimè Salomoni aptari poſſe, quod unicuique conſtabit, ſi ſingulos Davidici Carminis verſus perpendere voluerit; nam verſu 8. Rex qui celebratur, nuncupatur Deus, regnumque ejus æterna ſtabilitate manſurum proponitur; Nempe *ſedes tua Deus in ſæculum ſæculi virga directionis virga regni tui*. Quod quidem ſoli Meſſiæ convenit, ſi Davidis teſtimonium cum cæterorum Prophetarum vaticinijs conciliemus. Item verſ. 18. promittuntur Reginæ filij, qui toti terrarum Orbi cum abſoluta poteſtate præficiantur. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, & conſtitues eos principes ſuper omnem terram*, quæ quidem prædictio Filijs Salomonis non convenit; cum Roboam maximam Regni partem amiſerit, nec ad

I 2 fines

fines terræ dominium extenderit. Verſ. 4. & 7. dilectus ille bellator, fortis, triumphatorque populorum deſcribitur: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent*. Salomon autem quamdiu vixit bellorum omnino expers fuit, ac propterea pacifici nomen obtinuit. Agitur inſuper in hoc pſalmo non de carnalibus nuptijs, ſed de ſpirituali quodam regali, ac præſtantiſſimo connubio, quale eſt illud, quod Divinum Verbum caro factum Rex, ac Meſſias Dominus noſter Jeſus Chriſtus cum Eccleſia dilectiſſima ſua ſponſa contraxit. Cui pro antiquis Patribus tot illuſtres, inclitique filij adhæſerunt. Et in omnem terram nomen illud, quod eſt ſuper omne nomen deportarunt, quo & efferatas gentes ſibi ſubiecerunt, & non ferro, ſed ligno totum terrarum orbem ſibi reſiſtentem perdomuerunt. Videmus ergo, quam aptè titulum pſalmi 44. adduxerit Clemens, ut oſtenderet Unigenitum Dei Filium ſeſe Patribus, atque Prophetis antiquitus revelaſſe, ut ejus in terras adventum myſteria præcurrerent, fides annunciaret, ſpes firmiſſima depoſceret.

VII. Similia de revelato Patribus antiquis filio Dei legere poſſumus apud Tertullianum, qui adverſus Judæos ſic ſcribit. *Qui ad Moyſen loquebatur ipſe Filius Dei, qui & ſemper videbatur: Deum enim Patrem nemo vidit unquam, & vixit, & ideò conſtat ipſum Dei Filium Moyſi eſſe locutum, & dixiſ-*

ſe ad populum: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam. Origenes autem ad hoc caput 6. Iſaiæ inquit: *Quis eſt iſte unus de Seraphim? Dominus meus Jeſus Chriſtus. Iſte juxta diſpenſationem carnis miſſus eſt habens in manu ſua carbonem, & dicens: Ignem veni mittere in terram.* Item D. Leo Magnus Epiſt. 13. ad Pulcheriam Auguſtam, *potuerat*, inquit, *Omnipotentia Filij Dei, ſic ad docendos, juſtificandoſque homines apparere, quomodo & Patriarchis, & Prophetis in carnis ſpecie apparuit, cum aut luctamen inijt, aut ſermonem conſervit. Cumque officia hoſpitalitatis non abnuit, vel etiam appoſitum cibum ſumpſit.* Ad eamdem rem confirmandam Prophetico Danielis cap. 3. teſtimonio aliqui magni nominis Patres nituntur. Cum enim Nabucodonoſor Rex tres innocentes pueros in fornacem comburendos miſiſſet, ac circa eos ludentes flammas admirabundus ſpectaſſet, confeſſus eſt pariter, ſe vidiſſe in fornace illis aſſociatum quartum ſimilem filio Dei, cum tres tantum in præparatum, & regio imperio concluſum incendij locum eſſent conjecti. Unde D. Auguſtinus in concione ad Cathecumenos cap. 15. ait: *O Alienigena unde tibi hoc? quis tibi annunciavit Filium Dei? Quæ lex, quis Propheta annunciavit tibi Filium Dei? Nondum quidem mundo naſcitur, & ſimilitudo naſcentis à te cognoſcitur. Unde tibi hoc? Quis tibi iſtud nunciavit, niſi quia ſic te Deus illuminavit, ut cum illic apud te captivi tene-*

ren-

rentur inimici Judæi, ſic diceres teſtimonium Filio Dei. Rupertus denique de victoria Verbi Dei lib. 6. *Quis dignè ſufficit admirari ubi nam viderit Rex ille filium Dei, ut in medio ignis ejus ſimilitudinem agnoſcere poſſet? Dixit enim, & ſpecies quarti ſimilis Filio Dei*. Et infrà. *Nonne ergo mente non ſua loquutus eſt? Nonne in magno exceſſu, & ſtupore ſic affectus eſt? Quem ſtuporem indicavit Scriptura, cum dixit: Tunc Rex obſtupuit, & ſurrexit properè. Sicut igitur dormiens viderat ſtatuam profundiſſimorum myſteriorum plenam: ſic nunc obſtupeſcens, nec intelligens quod videbat, aut dicebat, nominat Filium Dei, & ſervos ejus prædicat. Sed utcumque ſit, nihilominus tamen ſpecioſa fuit hæc victoria, & inſigne præconium Filij Dei, quod illum manifeſta confeſſione prius confeſſus eſt inimicus, quam amicus, perſecutor, quam ſectator, gentilis, quam Judæus. Quis ex omnibus Prophetis tam apertè nomen illud expreſſit appellans Filium Dei? Non enim tutum erat æternam Filij ex Patre Deo generationem Judæis carnalibus enunciare: Unde oportebat Prophetas claudere, ligare, & ſignare teſtimonia ejus in Scriptura. Per hunc autem Regem ſummum ex Mundi principibus, quem Judæus, aut gentilis arguere non poſſet, cujus opprimere os non auderet Mundus, hoc nomen Filij Dei primitus enunciatum, & evulgatum eſt.*

VIII. Hunc igitur Dominum Propheta noſter ſuper ſolium excelſum, & elevatum ſedentem vidit,

dit, ut hac admirabili viſione cunctis mortalibus declararetur, quam excelſa, quam ſumma ſit Divina Majeſtas, quam latum, quam amplum ejus dominium, atque imperium, quam remotæ à ſenſuum perceptione res cœleſtes, & quam infinitè à Creatore ſuo creaturæ diſtent, qui pſal. 112. dicitur: *Excelſus ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper Cœlos gloria ejus*. Hinc Job ſummo quodam ſtupore correptus cum cognoviſſet immenſi increati Solis fulgore humanarum mentium acies perſtringi ſic effatus eſt cap. 11. verſ. 7. 8. & 9. *Forſitan veſtigia Dei comprehendes, & uſq; ad perfectum omnipotentem reſperies? Excelſior Cœlo eſt, & quid facies? profundior Inferno, & unde cognoſces? longior terra menſura ejus, & latior mari*. Et cap. 22. verſ. 12. *An non cogitas, quod Deus excelſior Cœlo ſit, & ſuper ſtellarum verticem ſublimetur?* Baruch etiam cap. 3. verſ. 25. hanc Divinæ Majeſtatis celſitudinem nobis commendat, cum ait: *Magnus eſt, & non habet finem excelſus, & immenſus*. Et quum ea, quæ noſtræ intelligentiæ vires ſuperant, captumque etiam perſpicaciſſimarum mentium excedunt alta, & ſublimia dicantur, nil mirum eſſe debet, quod Divinum Solium excelſum, atque elevatum viderit Propheta, quamquam enim rerum conditarum dominatrix illa Majeſtas per omnium oculos ſeſe ultro obtrudat, & per creaturarum veſtigia ſua pulchritudine mentes alliciat, illam tamen

per

per ſpeculum in ænigmate contemplamur. Quæ enim Dei ſunt ſolus Divinus ſpiritus cognovit; Et qui temerè præſumit incomprehenſibilem Dei Majeſtatem perſcrutari profectò opprimetur à gloria. Hinc ipſe Deus, qui luce ſua admirabili cuncta recreat, ac perfundit dicitur, ponere tenebras latibulum ſuum, & lucem habitare inacceſſibilem, ut diſcamus, non omnibus datum eſſe noſſe myſteria Regni Dei, nec Patrem Cœleſtem cognoſcere, niſi illis, quibus Filius, qui eſt increata ſapientia, voluerit revelare.

DISSERTATIO OCTAVA

HAc viſione Iſaias oſtendit, quam excelſa ſit Divina Majeſtas, quare viderit Divinum Solium excelſum, & elevatum. Quare dicatur Deum ponere tenebras latibulum ſuum, & lucem inacceſſibilem inhabitare. Quare Dei Majeſtatem ſedentem inducit Propheta. Non loquitur de Templo materiali, ſed per Templum Cœlum intelligit, & varijs Auctorum ſententijs confirmatur. Sacræ literæ docent Deum aliqua loca præcipua ad cultum ſui deputaſſe, idqu colligitur ex D. Paulo, & Ælio Lampridio. Difficillimum eſt juxta Plutarchum, invenire Urbem ſacrificijs, Temploque carentem. Quare homines ante Salomonis Templum nullum aliud habuerint. Quare Judæi habuerint mobile Tabernaculum. Ante Tabernaculum aliqua Templa fuiſſe probatur Reg. 1. cap. 5. verſ. 2. Paralip. 2. cap. 10. verſ. 10. Machab. 1. cap. 10. verſ. 84. &c. Initio homines ſepulchra pro Templis colebant, quod auctoritatibus comprobatur. In ſolatium eorum, qui filios, vel parentes amiſerant, privatè etiam ædicula quædam erigebantur. Tabernaculum Judæorum quid? Ejus longitudo, & diviſio. Ingreſſus Summi Pontificis in S. Sanctorum fuit umbra expiationis generis humani per Chriſtum. Tabernaculi conſtructio. Ejus opertorium. Mos veterum tegendi pellibus Tabernacula. Unde ortum nomen Cappellæ *in Chriſtianis Eccleſijs. Primis ſæculis erat diſcrimen inter Templum, & Eccleſiam. Auctoritate S. Hieronymi probatur. A Gentilibus Eccleſiæ, non Templa appellabantur loca Deo à Chriſtianis dicata. Primi Chriſtiani etiam à nominibus Æthnicorum abſtinebant.*

I. NOn incongruè Summa Dei Majeſtas ſedens inducitur, ut aliqua nobis figura immutabilis, & ſempiterni boni proponeretur, illud enim ſemper idem eſt, ſtabile, firmum, perpetuum, ac conſtans. Unde Regius Pſaltes: *Et omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & velut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ſemper es, & anni tui non deficient*; & alibi: *ſedes tua Deus in ſæculum ſæculi.* Quibus verbis oſtendit ſapientiſſimum omnium rerum opificem, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, ſe ipſo eſſe feliciſſimum, ac perfectè beatum, permanentem, ac immutabilem, & illum eſſe, cujus potentia omnia producantur, cujus ſapientia gubernentur, cujus beatiſſimo ſplendore illuſtrentur omnia, cujus ineffabili Majeſtate omnia repleantur. Et hinc Propheta noſter, antequam pronunciaret Deum ſeſe illi veluti in quodam viſibili Templo manifeſtaſſe, ne putarent homines Deum, aut circumſcribi poſſe, aut materialibus ſpatijs contineri, anteà præmiſit. *Et plena erat omnis terra Majeſtate ejus.*

Et ea, quæ ſub ipſo erant replebant Templum.

II. Non loqui hìc Prophetam de materiali aliquo Templo, ſed ab ædificij Salomonici magnificentia argumentum ſumere, quo homines veluti

per

per umbram ad notitiam beatiſſimi domicilij traducerentur, nemini dubium eſse poteſt, qui Prophetica verba cum Davidicis conciliaverit, qui pſ. 10. cecinit. *Dominus in Templo ſancto ſuo, Dominus in Cœlo ſedes ejus*. Per Templum igitur Cœlum intelligit, & quoniam illa tempeſtate celebre erat Salomonicum Templum, hoc nomine Templi uſus eſt, ut ad quoddam majus, & ſublimius, mentem homines erigerent, ſedulòque meditarentur, quam amplum, quam excelſum Divinæ Majeſtatis dominium, quam pulchra, quam magnifica illius ſedes, quantus illi Domino cultus exhibendus, cujus immenſitas nullis poteſt ſpatijs circumcludi, nec materialibus parietibus ambiri. Unius, & immortalis Dei, unum, & immortale Templum eſse, quod non vi, & caſu proſternatur, non temporum injuria, hominumque invidia labefactetur, ſed perpetuum ſit, & ubique ipſius ſumma Majeſtate pleniſſimum.

Deum namque ire per omnes
Terraſque, tractuſque Maris, Cœlumque profundum.

Antiqui etiam crediderunt, ut 4. Georg. cecinit Virgilius

Lucanus XIX. belli Pharſalici
Eſtque Dei ſedes, ubi terra, & pontus, & aer,
Et Cœlum, & Virtus, Superos quid quærimus ultra?

Juppiter eſt quodcumque vides, quocumque moveris . .

III. Hinc Gentium Doctor, ut narratur Act. 17. verſ. 24., & ſeqq. cum Athenienſibus diſputans, ut eos ab antiquo errore revocaret, quo credebant Divinam Majeſtatem Templis manufactis indigere ſic ait: *Deus, qui fecit Mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, hic Cœli, & Terræ cum ſit Dominus non in manufactis Templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo*. Stephanus quoque hanc eamdem adverſus Judæos rationem adducit Act. cap. 7. verſ. 48. *Sed non excelſus in manufactis habitat, ſicut Propheta dicit Cœlum mihi ſedes eſt: terra autem ſcabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ eſt?* Lactantius denique in fine libri de ira Dei Paganos arguit, qui ſolam exteriorem ſpeciem attendentes, in quo verus Dei cultus conſiſteret, ignorabant, inquit autem: *ſit nobis Deus non in Templis, ſed in corde noſtro conſecratus. Deſtructibilia ſunt omnia, quæ manu fiunt. Mundemus hoc Templum, quod non fumo, non pulvere, ſed malis cogitationibus ſordidatur: quod non cereis ardentibus, ſed claritate, ac luce ſapientiæ illuminatur*.

IV. Quamvis autem certiſsimum ſit Deum ſua immenſitate univerſum terrarum orbem replere, ubique adeſse, atque in cordibus hominum, ædificante charitate gratiſsimum ſibi domicilium conſtrue-

ſtruere; Divinæ tamen nos literæ docent, Deum aliqua loca ad honorem, cultumque ſui præcipuè deputaſse, in quibus homines externos religionis actus exercerent. Quod Judæis fuiſse non tantum probatum eſt, ſed veteribus Chriſtianis; quibus fuiſse Templum, & Oratoria divinis Miſterijs deputata, ex ſacris, prophaniſque Scriptoribus colligigitur. Legatur D. Paulus. 1. ad Corinth. cap. 11. verſ. 22. Ælius Lampridius in Alexandrum Severum. *Quum Chriſtiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupaſſent, contra popinarij dicerent ſibi eum deberi, reſcripſit melius eſſe, ut quomodocumque illic Deus colatur, quam popinarijs dedatur*; pag. mihi 1003. & pag. 993. *Chriſto Templum facere voluit, eumque inter Deos recipere, quod & Hadrianus cogitaſſe fertur*. Origenes in Matth. tract. 8. Tertullian. de idololatr. cap. 1. de pudicit. cap. 4. Euſebius hiſtor. Eccleſiaſt. XIII. 1. 2. IX. 9. Lactantius inſtit. lib. 2. Theodoretus hiſtor. Eccleſiaſticæ lib. 1. cap. 29. Et plures alij, quos citat Ferrandus in pſal. 23. verſ. 3. Templorum autem ædificia ita ad Dei obſequium inſitum homini pertinere affirmat Plutarchus lib. adverſus Colorem, ut difficillimum exiſtimet Urbem invenire ſacrificijs, Temploque carentem, ita enim ait. *Et ſi terras obeas, invenire poſſis Urbes muris, literis, regibus, domibus, opibus, numiſmate carentes, gymnaſiorum, & theatrorum neſcias: Urbem templis, dijſq; carentem,*

quæ

quæ precibus, jure jurando, oraculo non utatur, non bonorum cauſa ſacrificet, non mala ſacris avertere nitatur, nemo unquam vidit.

V. Quod verò homines, in quorum animis altè impreſſa erat Divini Numinis reverentia, inſitumq; propagandæ religionis ſtudium, nulla ante Salomonem Templa conſtruxerint, mirandum non eſt, ſi aut ſuſcepta ab eis vitæ inſtituta, aut circumſtantias temporum in quibus vixerunt conſiderare velimus: Et quidem prima illa ſæcula ab omni faſtu, ac pompa aliena homines in paſcendis gregibus occupabant. Illi nunc in montibus, nunc in ſilvis, nunc in vallibus degebant, & temporum viciſſitudinibus obſequentes, loca etiam mutabant, optantes in quocumque tempeſtatum diſcrimine ſub clementiſſimo Cœlo habitare, ut ſibi, ſuiſque gregibus, & commoda, & vitam conſervarent. Cumque determinato ferè loco conſiſtere non poſſent, ita nec Templum, fixumque Altare habere, ſed ubicumque Religio, Pietaſq; ſuaſiſſent, ibi extruebant aras, inſtituebant ſacrificia, offerebant holocauſta. Poſtquam verò Iſraelitarum gens, cui Deus legem, Sacerdotes, ritusque ſacrificiorum præſcripſerat, duriſſimum jugum Ægyptiacæ captivitatis excuſſit, & ipſomet Deo protegente in priſtinam libertatem vindicata eſt, non potuit ſtatim Templum conſtruere, aut fixum Altare erigere, cum per 40. annos in deſerto erraverit, & Amalecitarum, Amorræo-

ræorum, finitimarumque gentium bellis undique concuteretur, nec tranquillè conſiſtere quoad uſq; inſultantes ſibi hoſtes deviciſſet, & ad promiſſam regionem perveniret. Ne tamen bellorum incommodis, peregrinationibuſque Iſraeliticæ gentis Divinus cultus negligeretur; habuit illa mobile Tabernaculum, in quo tamquam in portatili aliquo Templo ſacra miniſteria peragerentur. Sed antequam de hoc Tabernaculo aliquid explicemus, non negamus aliqua prius inter varias gentes Templa fuiſſe, cum & Divinæ Scripturæ auctoritas, & doctiſſimorum Virorum teſtimonia hoc nobis ſuadeant; Etenim in lib. Judic. cap. 16. mentio fit Templi Dagonis, & 1. Reg. cap. 5. verſ. 2. ſicut Paralip. 1. cap. 10. verſ. 10., & Machab. 1. cap. 10. verſ. 84. & cap. 11. verſ. 4. Reg. verò 1. cap. 31. verſ. 9. 11. alia recenſentur Templa, Reg. 3. cap. 16. verſ. 32. Reg. 4. cap. 5. verſ. 18.

VI. Quam aliena autem fuerint à vero Dei cultu hujuſcemodi Templa, ignorare nemo poterit, cum in illis aut Dæmones reſponſa darent, ut divinos ſibi honores uſurparent, incautoſque homines in ſui obſequium traherent, & quos ſibi obſequentes reperiſſent tartareis vinculis obſtringerent. Legantur ea, quæ fusè in Diſſertationibus noſtris pertractavimus agentes de origine, ac progreſſu idololatriæ, ex quibus apertè conſtabit efferatarum gentium Templa, aut Dæmonum habitacula, aut mortuo-

tuo-

tuorum ſepulchra extitiſſe. Cum initio etiam ſepulchra prò Templis colerentur, ut notat eruditiſſimus Vir Benedictus Averanius in livium diſſertatione 19. num. 5. Clemens autem Alexandrinus diligens antiquitatum indagator aſſerit in Protreptico, ſive admonit ad gent. lariſſæ in Minervæ delubro ſepulchrum Acriſij fuiſſe, & Athenis in arce parentatum Cecropi; Erichthonio vero in Templo Poliadis monumentum conſtitutum, ſicut Immarado in Templo Cereris Eleuſinæ; Hyperoche, & Laodice in inſula Delo in Artemiſio ſepultæ perhibentur. Neque tantum publicè, ſed privatè quoque in ſolatium eorum, qui filios, parentes, aut amicos amiſerant, ædiculæ quædam ſepulchrorum ad inſtar, delubra, tumulique erigebantur. Hujus rei probatio expreſsè habetur Sapientiæ cap. 14. ubi inducitur Pater, qui ut dolorem mortui filij aliquo ſolatio deliniret illius imaginem formavit, quam Divinis honoribus eſt proſecutus. Virgilius etiam Æneidos lib. 4. in palatio Didonis ſui Conjugis Sichæi Templum fuiſſe commemorat.

Præterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat
Velleribus niveis, & feſta fronde revinctum.

VII. Sed relictis ſuperſtitioſis gentilium templis, redeamus ad Iſraelitarum Tabernaculum, à quo aliquantulum diſceſſeramus. Tabernaculum igitur, quod Templi ſimilitudinem gerebat, erat mobile; & por-

& portatile, & tali artificio conſtructũ, ut per partes diſſolvi poſſet. Exodi 26. longum erat triginta cubitis, latum decem, altum decem. In duas præcipuè partes dividebatur, quarum una appellabatur Sanctum habens in longitudine ſua cubitos viginti. Altera Sanctum Sanctorum decem cubitis oblonga. Sanctum itaque erat quadrangulum habens longitudinem viginti, & latitudinem decem cubitorum. Sanctum à Sancto Sanctorum interpoſito velo dividebatur. In Sancto autem poſitum erat candelabrum, menſa panum propoſitionis, altare thymiamatis. In Sancto verò Sanctorum arca fœderis continebatur cum propitiatorio. In Sanctum mane, & veſpere ingrediebantur Sacerdotes, ut adolerent thymiamata, ut veſpere lucernas candelabri accenderent, & veſpere eas extinguerent. At in Sanctum Sanctorum ſoli Summo Pontifici dabatur acceſſus, idque ſemel in anno, ideſt in feſto expiationis Lev. 16. qui quidem Summi Pontificis in Sancta Sanctorum ingreſſus umbra quædam fuit Expiationis totius humani generis factæ per Chriſtum Summum Pontificem, Redemptoremque noſtrum, ut teſtatur Apoſtolus ad Hebræos cap. 9. videlicet: *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius Tabernaculum non manufactum; ideſt non hujus creationis, neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta, æterna redemptione inventa.*

VIII. Conſtruebatur tabernaculum viginti tabulis lignorum ſetim inauratis in longitudine verſus Meridiem, totidemque in longitudine verſus Septentrionem: In latitudine verſus Septentrionem octo tabulæ reperiebantur, nulla verſus Orientem, ibi enim patebat ingreſſus in tabernaculum, & ut conſtat Exod. cap. 26. verſ. 15. ibi erant quinque columnæ inauratæ velum ſuſtentantes, quo elevato Sacerdotes in Sanctum poſſent introire. Superna hujus portatilis machinæ tegumenta, & ad latera. Erant quidem ex decem cortinis, ex cocco, purpura, hyacintho, ac biſſo. Deinde ex undecim ſtragulis cilicinis. Pellibus etiam arietum rubricatis. Denique pellibus janthinis, ut à pluvijs, atque procellis defenderetur. Hac de cauſa mos erat antiquis tabernacula pellibus tegere, quæ quamvis exteriori venuſtate oculos non allicerent ab exurente enim Sole decolorabantur, maculabantur ab aquis cadentibus, internam tamen ſuam retinebant pulchritudinem, magnificentiamque conſervabant. Hinc Cant. 1. *Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Jeruſalem ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis*. Tabernaculum verò contectum exterius pellibus fuiſſe non ſolum conſtat ex cap. 26. verſ. 1. Exod. ſed etiam ex lib. 2. Reg. cap. 7. verſ. 1. ubi referuntur Davidica verba ad Natan Prophetam prolata: *Vides ne quod ego habitem in domo Cedrina, & arca Dei poſita ſit in medio pellium?*

XI.

IX. Ab hoc antiquiſſimo uſu fluxiſſe crediderim Capellæ nomen, quod adhuc in Chriſtianis Eccleſijs retentum eſt; Nam cum antiqui Chriſtiani in expeditionibus ſuis tentoria deferrent, in quibus Miſſæ ſacrificium celebrabatur, & hujuſcemodi tentoria caprinis pellibus contra pluvias, æſtumque contegerentur. Hinc altaria tecto, parietibuſque ab injuria temporum defenſa, poſtmodum Capellæ ſunt appellata. Videatur Durandus in rationali divinorum officiorum lib. 2. cap. 10. de Sacerdote. Unde etiam ejusdem Capellæ nomen ab alia origine repetit, ait enim quod antiqui Francorum Reges cum ad bella procederent, deferebant ſecum Beati Martini Capam, quæ ſub quodam tentorio ſervabatur, quod à Capa Capella dictum eſt, & Sacerdotes ejusdem cuſtodes Capellani ſunt nuncupati, ſed an hæc ratio priori quam adduximus ſit anteponenda exactiſſimo criticorum judicio decidendum relinquo.

X. Hoc autem cum doctiſſimo Card. Bona lib. 1. rerum liturgicarum cap. 19. hic animadvertendum exiſtimo, quod quamvis ex receptiſſimo uſu nullum inter Templum, atque Eccleſiam diſcrimen aſſignetur, primis tamen Eccleſiæ ſæculis, ut exprimerentur loca divino cultui dedicata, non Templi, ſed Eccleſiæ nomen adhibebatur, cum tunc appellarentur Templa illa ædificia, in quibus victimæ immolabantur, & ſuperſtitioſi Gentilium ritus exerce-

Digitized by Google

bantur. Celebre eſt Divi Hieronymi teſtimonium Epiſt. ad Riparium, adverſus Vigilantium; ubi inquit: *Mortuo cadaveri, atque polluto præbebant excubias, ut poſt multa ſæcula Dormitantius ſomniaret, imò eructaret immundiſſimam crapulam, & cum Juliano perſecutore Sanctorum Baſilicas aut deſtrueret, aut in templa converteret.* Ipſi etiam Gentiles loca, ad quæ Chriſtiani conveniebant, Eccleſias, non Templa appellabant. Nam ut refert Flavius Vopiſcus in vita Valeriani Imperatoris hic olim ad Senatum ſcripſit: *Miror vos Patres Sancti tamdiù de aperiendis libris ſibyllinis dubitaſſe, perinde quaſi in Chriſtianorum Eccleſia, & non in templo omnium Deorum tractaretis.* Primi illi igitur Chriſtianæ Pietatis cultores, ne viderentur Ethnicam impietatem, ſuperſtitionemque æmulari, etiam à nominibus, quibus Gentiles utebantur diligentiſſimè abſtinebant, Templique vocabulum reſpuebant, quod ad denotanda loca inanium Deorum ſimulachris dedicata uſurpabatur.

DIS-

DISSERTATIO NONA

SEraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ uni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.

QUare ab Iſaja Seraphim tantum, & non Angeli nominentur. Seraphim unde dicti. Varia Angelorum genera D. Pauli teſtimonio, aliorumque exprimuntur. Quamvis ab antiquis variè diſtribuantur Angelorum Ordines, tamen à SS. Patribus novem eſſe Choros receptum eſt. Prima Claſſe Seraphim, Cherubim, Throni, in ſecunda Dominationes, Principatus, Poteſtates. In tertia Virtutes, Archangeli, Angeli. Diverſitas ſenſus Vulgatę, & Textus Hebraici, & Chaldaici. Quare Seraphim velabant alis faciem ſuam. Ratio Tirini affertur. Miſticus ſenſus alarum Seraphinorum adducitur. Sex alę juxta D. Bonaventuram ſex Virtutes ſunt, quas habere debent Prelati. Zelus juſtitiæ, & pietas, quare debeant Prælatorum Eccleſiæ faciem contegere. Verſio Hebraica verborum pſalmi 6. Qui alijs præſunt, Moyſen imitentur.

I. QUamvis Angelorum nomen ſæpius in sacris literis repetatur Seraphim, tamen à Propheta noſtro tantum nominantur, nec mirum eſſe debet, quia quemadmodum Divino quodam privilegio Cœteris altius evolavit, ut

ut multa de occultis myſterijs loqueretur, atque Filij Dei adventum expreſſius annunciaret. Ita Spiritus propriùs Deo adſtantes meruit intueri, qui Seraphim nomen ideò ſortiti ſunt, quia altiſſimæ illius Majeſtatis, cui præ cæteris ſunt viciniores, amore exardeſcunt, atque inflammantur, Seraphim enim à verbo שָׂרַף Saraph, quod idem eſt ac verbum accendit, deductum eſſe Sacræ Scripturæ Interpretes affirmant. Et quoniam de Seraphinis loquimur, ad majorem Studioſorum eruditionem animadverſione dignum cenſemus, quod quamvis novem Cœleſtium Spirituum Chori communiter ab omnibus numerentur, tamen non unus apud omnes retentus eſt modus, una eademque via, qua ipſam Cœleſtem militiam dividerent, cum etiam apud eumdem auctorem præcipuè circa medios ordines dividendi modus invertatur. Nam gentium Doctor ad Rom. cap. 8. primum enumerat Angelos, poſteà Principatus, deinde Virtutes; ait enim: *Neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes*. Ad Epheſios autem cap. 1. verſ. 21. ſcribit: *ſupra omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem*. Ad Coloſs. cap. 1. verſ. 16. *Sive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates*. Gregorius Magnus lib. 32. in Job cap. 18. Cœleſtem Hierarchiam dividit in Angelos, Arcangelos, Thronos, Dominationes, Virtutes, Principatus, Poteſtates, Cherubim, & Seraphim.

At

At hom. 34. in Evang. enumerat Angelos, Archangelos, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, & Seraphim. Baſilius Seleucienſis orat. in Deiparam, & Nicephorus Conſtantinopolitanus diſp. de ſacris imaginibus Cherubinos primos appellant. Illi verò, qui primum in Cœleſti militia locum obtinent ab Origine Dij appellantur, nam tom. 1. in Joann. edit. Græco latinæ pag. 32. quem citat Joann. Baptiſt. Cotelerius ad cap. 12. lib. 8. Conſtit. Apoſtolicarum n. 71. pag. 359. columna 1. & 2. ſic ait: *Univerſorum ergo Deus genus primum quoddam rationale, quod cæteris honore excelleret, fecit quod mea ſententia eos complectatur, qui vocantur Dij, alterum in præſentia vocentur Throni, tertium verò Principatus ſine diſſidio*. Quamvis autem certum non ſit quomodo Cœleſtium Spirituum Ordines inter ſe diſtent, & hoc fateatur Auguſtinus lib. contra Priſcillian., & Origen. cap. 10., & in Enchirid. cap. 58., recepta tamen inter Patres ſententia eſt novem eſſe Angelorum Choros, quos in tres claſſes dividit D. Dionyſius Areopagita agens de Cœleſti Hierarch. In prima enim claſſe, ſive ſupremo ordine collocat Seraphim, quorum nomen idem ſonat, ac ardentes ab igneo, ſcilicet charitatis ardore, quo in contemplatione Deitatis perſiſtunt, de quibus Iſajas hoc cap. Deinde Cherubim, hoc eſt multitudo ſcientiæ. Ezech. 9. & 28. pſ. 79. Denique Thronos,

apud

apud quos ſplendet Divini judicij, & voluntatis rectitudo. In ſecunda claſſe conſtituuntur Dominationes, ita dictæ, quod mira potentia præſint, atq; in eis legitima forma dominandi reperiatur. Vid. Dionyſ. cap. 8. de Cœleſti Hierarch. Principatus, quod inferioribus ordinibus ad explenda Divina mandata præponantur. Poteſtates, quia hoc à Deo obtinuerunt, ut illis Dœmones ſubijciantur, ne hominibus noceant cum volunt, unde ab eis juſti, & legitimi modi coactionis. In tertia claſſe ſunt Virtutes ob firmitatem, & Virtutem, qua per eas ſigna, & prodigia fiunt, Archangeli, quia magna, Angeli quia minora annunciant.

IX. Seraphim igitur in noſtra Vulgata dicuntur duabus alis Divinam faciem velare, duabus pedes, duabus verò volare. In textu verò Hebraico, Chaldaico. Apud Chryſoſtomum, Vatablum, Procopium, item in liturgijs S. Jacobi, & Æthiopum, legitur duabus velabant faciem ſuam, duabus pedes ſuos, & duabus volabant. Utrumque autem commodè accipi poteſt, & promiſcuum eſt apud antiquos Patres, nec myſterio vacare credendum eſt; Nam Seraphinorum alæ non tam appellari poſſunt Cœleſte quoddam velum,quo divinam faciem, pedeſque contegerent, altiſſimum tantæ Majeſtatis conſpectum ſibi adimentes,ſed etiam quo propriam faciem, pedeſque cooperirent. Velabant enim faciem ſuam primo præ reverentia, qui etſi perſpicaciſ-

ciſſimis, ſint oculis, tamen adverſus tantum ſplendorem, quantus emicat ex illo Divino vultu, & illo ſplendidiſſimo Sole, cujus infinito ſplendore omnium acies perſtringuntur veluti cœcos ſe fatentur. Secundo ex affectu heroicæ, atque ſingularis obedientiæ, qua velatis oculis, ac veluti cœci promptos ſe exhibent ad quælibet juſſa Divina capeſſenda. Velant autem, inquit hic Tirinus, & ſuos, Deiq; pedes ex duplici cauſa, nam tegendo ſuos pedes, ſuam teſtantur, primo verecundiam, ne quis aſpiceret imperfectum amorem in Deum, & affectum, cujus ſymbolum ſunt pedes. Secundo Caſtimoniam, quam populo Judaico in res obſcænas propenſiſſimo inculcatam volebant. Tegendo verò pedes ipſius Dei innuebant, inquit Rupertus, non ſolum faciem, ideſt Divinitatem Dei incomprehenſibilem eſſe omnibus Creaturis, ſed etiam pedes ejus, ideſt Chriſti humanitatem, qua inter nos ambulavit, ipſis quoque Seraphinis impenetrabilem eſſe, præcipuè ob exceſſivam in ea humiliationem, & exinanitionem tantæ Majeſtatis, quam ſatis mirari, & ſuſpicere non poſſunt. *Et manifeſtè*, inquit Gentium Doctor 1. ad Timot. cap. 3. verſ 16. *magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in Mundo, aſſumptum eſt in gloria.*

III. Quid autem myſticè ſex alæ Seraphinorum

denotare voluerint, explicare nunc aggredimur, & quoniam tales non ſumus, ut altiùs evolemus, ad ipſoſque Seraphinos Deo adſtantes propriùs accedere audeamus D. Bonaventuræ, qui Seraphici Doctoris nomen promuerit, veſtigia ſequamur; ipſe enim aureum verè, & dignum omnium ſæculorum memoria libellum edidit de ſex alis Seraphim, qui extat tom. 7. operum ejus, ibidem ſingulari quadam Doctrinæ profunditate, ad eos alloquitur, qui Eccleſijs præſunt, & quibus animarum cura demandata eſt, & inquit, quod ipſi ſunt veluti aſſiſtentes altiſſimo Throno Divinæ Majeſtatis, & ideo debent ſex alis hoc eſt ſex virtutibus ornari, quarum duas ſuper caput elevent, nempe zelum juſtitiæ, & pietatem, ſive compaſſionem fraternam: Medijs duabus, nempe patientia, & vita exemplari debent corpus contegere, ultimis verò duabus, ideſt diſcretione circumſpecta, & devotione ad Deum evolare. Quæ quidem virtutes quam dignæ ſint, quæ à Dei Miniſtris diligantur inficiari nemo poteſt. Quantum verò ſint Eccleſiaſticis Viris utiles, Experientia rerum magiſtra ſuadet; Nos in earum explicatione ſi volantem Seraphinum ſequi non poſſumus, & plenè imitari, ſaltem hoc pro viribus noſtris conabimur obtinere, ne obſcuritate ea velentur, quæ ad publicam utilitatem volumus exponere, ut animæ ad Deum citius volent.

IV. Ac primo ſi à nobis aliquis inquirat qua de

cauſa zelus juſtitiæ, & pietas, ſive compaſſio fraterna debeant Prælatorum Eccleſiæ faciem contegere, eidem breviter reſpondemus, has præclaras virtutes Divinarum literarum teſtimonio hoc ſibi officium vendicaſſe. Qui enim aut juſtitiæ zelo, aut fraterna compaſſione operatur oculos ſuos contegit, non enim reſpicit perſonas, ſed legem juſtitiæ, & charitatis altè, & tenaciter cordi impreſſam: Nam quemadmodum apud juſtum, miſericordemq; Deum nulla eſt perſonarum acceptio dicente Apoſtolo ad Rom. cap. 8. *Non eſt acceptio perſonarum apud Deum*, & cap. 10. *Non eſt diſtinctio Judæi, & Græci, nam idem Dominus omnium dives in omnes, qui invocant illum*; ita qui divina imitatione, juſtitiæ leges, & charitatis officia vult erga alterum exercere, ab omni debet humano affectu abſtinere, & ut inquit Apoſt. ad Galat. cap. 1. non acquieſcere carni, aut ſanguini. Hinc Eccleſiaſtici cap. 20. v. 24. ſcriptum eſt. *Eſt qui perdet animam ſuam præ confuſione, & ab impudenti perſona perdet eam perſonæ autem acceptione perdet ſe*. Et cap. 42. verſ. 1. *Nec accipias perſonam, ut delinquas*. Divus verò Jacobus in ſua Catholica Epiſtola cap. 12. clariſſimè fideles hortatur, ut Chriſtianæ pietatis, ac charitatis officia ſine ullo perſonarum reſpectu exerceant; inquit enim: *Fratres mei nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti gloriæ. Etenim ſi introierit in Cœtum veſtrum vir annulum*

 aureum

aureum habens in veſte ſplendida, introierit autem & pauper in ſordido habitu, & attendatis in eum qui indutus eſt veſte præclara, & dixeritis ei. Tu ſede hìc benè: pauperi autem dicatis, tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum, non ne judicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis judices cogitationum iniquarum? ſi tamen legem perficitis regalem ſecundum Scripturas: diliges proximum tuum ſicut te ipſum, benefacitis: ſi autem perſonam accipitis, peccatum operamini redarguti à lege quaſi tranſgreſſores.

V. Quod verò juſtitiæ zelus faciem, oculoſque eorum contegat, qui Divinam Majeſtatem offendi minimè patiuntur, non obſcurè demonſtrant Prophetica verba pſalmi 6. nempè: *Turbatus eſt à furore oculus meus*. Legit Textus Hebraic. עָשְׁשָׁה מִכַּעַס עֵינִי. *caligavit præ turbatione oculus meus. Targ. obſcuratus eſt*. Qua quidem in ſententia, aurea eſt expoſitio D. Gregorij, qui lib. 5. Moral. cap. 31. ſic ſcribit. *Ira quippe per vitium oculum mentis excæcat: Ira autem per zelum turbat, quia cum ſaltem recti æmulatione concutitur eaque niſi tranquillo corde percipi non poteſt, contemplatio diſſipatur. Ipſe namque zelus rectitudinis, quia inquietudine mentem agitat, ejus mox aciem obſcurat, ut altiora in commotione non videat, quæ benè prius tranquilla cernebat. Nam ipſa recti æmulatio cetera poſt paululum in tranquillitate largius aperit, quæ hic interim per commotionem claudit: & unde mens turbatur, ne videat,*

inde

inde proſpicit, ut ad videndum verius clareſcat, ſicut infirmanti oculo cum collyrium immittitur lux penitus negatur, ſed inde eam poſt paululum veraciter recipit, unde hanc ad tempus ſalubriter amittit. Qui alijs præſunt, & qui Divinorum præceptorum obſervantiam promovere deſiderant, omniaque charitatis officia adimplere, Moyſen imitentur, & animadvertant quæ de eo ſcripta ſunt Exodi cap. 34. verſ. 32., & ſeqq. *Venerunt ad eum omnes etiam filij Iſrael: quibus præcepit cuncta, quæ audierat à Domino in Monte Sinai. Impletiſque ſermonibus poſuit velamen ſuper faciem ſuam, quod ingreſſus ad Dominum, & loquens cum eo auferebat donec exiret.* Loquantur cum Deo, antequam cum ſibi ſubditis loquantur. Sciant omnia nuda, & aperta eſſe oculis Domini, nulloq; velamine, quæ geſſerint poſſe apud illum occultari; tegant apud homines faciem, ne aut Majeſtate deterreant, aut humano reſpectu deterreantur: ne commoveantur amore, aut odio, ſed juſtitia, & charitate. Sed exponamus jam expreſſius cum Seraphico Doctore, quid ſignificet prima Seraphinorum ala.

DIS-

DISSERTATIO DECIMA

De prima ala, nempe de zelo juſtitiæ.

JUxta D. Bonaventuram quatuor perſonarum ſunt genera. Primum genus eſt illorum, qui putant ſummum pietatis genus impium non eſſe. Non ſatis eſt homini declinare à malo, quin bonum faciat. Pax vera, quæ? Secundum genus eſt eorum, qui cum bene agant, multum ſe feciſſe arbitrantur non progredientes ad ulteriora. Similitudo ex Eccleſiaſt. excerpta. Qui ad Deum evolare cupit, Seraphinorum officia perpendat. Quid ſit volare, ejuſque ſenſus diverſitas ex Sac. Script. Factum Eliſei. Homines virtute præditi à labore ceſſare non debent, ut magis proficiant. Nulla virtus ſine pulchritudine. Quid ſit ſtudium pulchritudinis habere, & exemplis Abraham, & Joſeph, & Joann. Gualberti, D. Martini, & D. Raymundi. Tertii generis ſunt illi, qui cum multa bona egerint, nil ſe feciſſe putant, ſed non in aliorum vitia inflammantur. Exempl. Judic. cap. 9. verſ. 8. contra amorem proprium. Deus nihil otioſum condidit. Explicatur illud Canticorum cap. 1. verſ. 6. Quartum genus eſt eorum qui ambulant in lege Domini. Quid ſit amor? Paſtor bonus habeat præ manibus duas virgas, & quæ ſint illæ duæ virgæ explicatur. Funiculus etiam requiritur. Parvis peccatis venia, magnis ſeveritas adhibenda. Principaliter punienda eſt tranſgreſſio præceptorum Dei, poſtea illorum, quæ ex voto ſunt. Exemplo David confirmatur. Publicè peccantes, exemplo Eliæ, Oniæ, Moyſis, Phinees, Joſue, Joannis, Stephani, caſtigandi ſunt. Non gladius, ſed virga conceſſa eſt, & quomodo adhibenda, exemplo Eliæ probatur. Patientia, manſuetudo, & lenitas in puniendis peccatis.

Cum

I. Cum juſtitiæ zelus maximè neceſſarius ſit illis, quibus aliorum Curam Deus ipſe commiſit, & voluit, ut quemadmodum officij dignitate cæteris præſtabant, ita etiam animum illis virtutibus exornarent, quæ à Supremo omnium Rectore, & totius juſtitiæ fonte oriuntur, & manant, ideo antequam de zelo in ſubditorum regimine exercendo aliquid exponamus, ut ad ipſum veluti per gradus aſcendamus; quatuor cum Seraphico Doctore perſonarum genera ſunt diſtinguenda. Primum genus eorum hominum eſt, qui quamvis à vitijs abſtineant, & delicta omnia deteſtentur, tamen virtutis amore non inflammantur, & hoc ſibi putant ad gloriam, juſtitiamque ſufficere, ſi malum non committant, hominiſque perfecti ſingulare opus eſſe. Pietatis rudimenta ſectari, & ſe in ijs aſſiduè exerceri. Hoc genus hominum ſuo errore in perniciem trahitur, dum putat ſummum pietatis genus eſſe impium non eſſe, nec animadvertit, quod ab arboribus ſecus decurſus aquarum plantatis non folia tantum, ſed, & fructus requiruntur, & quod à fructuum ubertate, & qualitate, arbores ipſæ dignoſcuntur, atque in prætio habentur. Juſſit nos Dominus lumbos præcingere Luc. 12. ſed juſſit etiam ut ardentes lucernas in manibus geſtaremus. Quod exponens D. Gre-

D. Gregorius hom. 13. in Evang. ait: *Lumbos enim præcingimus cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Sed quia minus eſt mala non agere, niſi etiam quiſque ſtudeat, & bonis operibus inſudare, protinus additur. Et lucernæ ardentes in manibus veſtris. Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis noſtris lucis exempla monſtramus.* Et paulo infra: *Duo autem ſunt quæ jubentur, & lumbos reſtringere, & lucernas tenere: ut & munditia ſit caſtitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione. Redemptori etenim noſtro unum ſine altero placere nequaquam poteſt.* Et profectò non ſatis homini eſt, ſi à malo declinet, ſed ſumma eum ope niti decet, ut per bonorum operum fructus, per æmulationem virtutis immortale præmium aſſequatur. Hinc pſal. 33. ſcriptum eſt: *Diverte à malo, & fac bonum, inquire pacem, & perſequere eam*, eam videlicet pacẽ, quę exuperat omnem ſenſum, & quæ multa eſt Divinam legem Cuſtodientibus. Hinc Auguſtinus ſerm. 19. de tempore ait: *Præceptorum obſervatio duplici genere continetur, ut nihil eorum, quæ probibentur facias, & omnia quæ jubentur implere contendas; hoc eſt enim, quod Pſalmiſta ait: declina à malo, & fac bonum.* Et Iſajas cap. 1. *Definite agere perversè, diſcite benefacere*, Tobias quoque cap. 4. *Si timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus benè.* Denique D. Paulus ad Rom. 12. vult, ut qui æternam juſti-

juſtitiam ſectantur, ſint *odientes malum adhærentes bono*.

II. Alterum genus eorum eſt, qui ſe quidem in aliquibus bonis operibus exercent, ſed multum ſe feciſſe exiſtimantes, ad ulteriora non progrediuntur, atque ita deficiunt, quia non proficiunt; nam ut legimus Eccleſiaſtes cap. 10. verſ. 18. *In pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit domus*: qua ſententia nobis declaratur quanta diligentia, cuſtodire, ornare, ac perficere debeamus cordis noſtri domicilium; quemadmodum enim ſi habitatores domus alicujus, vetera non reficiant, nova non adhibeant, nec futuris temporibus conſulant, corruent tandem rodentibus tineis laquearia, & ingruentibus aquis ædificium deſtruetur. Ita qui novis animi ornamentis non ſtudet, non invigilat, ipſo profecto torpore veluti tinea conſumente internam domum periculis exponet, ac demum ingruentibus tentationum aquis, omne quod charitas conſtruxerat, ædificium ſubvertet. Quis unquam Mercator parvo contentus lucro dives evaſit? Quis per medios fluctus ad portum appellere cupiens non exerit vires, non contra undarum impetum luctatur, non omnem natandi induſtriam adhibet, ne vorticibus circumferatur, & in tanto periculo otium lacertis concedendum exiſtimat? Curvato dorſo ad navigij ſimilitudinem, contractis, extentiſque veluti remigio brachijs, ac

pedibus adverſantes undas non dividit, non flagellat, non ſuperat, ne tempeſtate jactatus, otioque ſuo devictus, omnem quieſcendi voluptatem deſperet, & gratiſſimum inviſendi portus ſolatium amittat? Non ſtatim quieſcunt generoſæ aquilæ, cum miniſterio alarum à terra ſe erigunt, ſed celerrimo volatu ſublimia petunt aeris faſtigia, donec fulgentiſſimum Solem contemplentur. Cœleſtes divitias nobis propoſuit Deus non otio, ac torpore, ſed labore, induſtriaque comparandas; Illis non locupletabitur, qui illas parvi æſtimat, qui parvis contentus eſt. Quotidie per tentationum fluctus inter tot pericula navigamus, frequenti exercitatione virtutum utendum eſt, laborandum aſſiduè, ut tandem in portu, & in Patria quieſcamus. Qui cupit cœleſti charitate inflammari, & Divini Solis ſplendore recreari ſecum maturè perpendat quænam fuerint Adſtantium Deo Seraphinorum officia, illi non tantum velabant, ſed volabant. *Qui autem ſperant in Domino*, inquit Iſaias cap. 40. verſ. ult. *mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut Aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient*. Aliud eſt volare, ut à malè viventium conſortio ſegregeris, cum in diluvio culparum non invenias, ubi pes tuus requieſcat. Et aliud eſt volare, ut inflammeris ſplendore æterni Solis, & ejus beatiſſima præſentia illuſtreris. Unum eſt volare, ut modicam tranquillitatem aſſequaris, ſtrepitum lin-

linguarum, turbamque declinans. Alterum, ut ſemper felix ſis, & beatus. Unum eſt volare, ut columba, & hinc deſiderabat Regius Pſaltes pſal. 54. verſ. 7. & ſeqq. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam. Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine. Expectabo eum, qui ſalvum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate. Præcipita Domine divide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in Civitate.* Alterum eſt volare ut Aquila, in qua tria rectiſſimi zeli officia perpenduntur. Oculi, ut videat æquitatem. Alæ ut erigat ſe in ſublime virtutum. Ungues, ut puniat, diſperdat, & diſſipet iniquitatem. Unum eſt volare, ſed adhuc cum labore. Alterum cum maxima voluptate, atque adeò ſine labore ambulare, & ideò dicitur. *Current & non laborabunt*. Unum eſt cum intermiſſione volare. *Volabo, & requieſcam*. Alterum nunquam deficere, *ambulabunt, & non deficient*. Unum eſt volare, ut expectes. *Expectabo eum*. Alterum volare, ut aſſequaris. Unum eſt fortitudinem deponere. *Expectabo eum qui ſalvum me fecit à puſillanimitate ſpiritus &c.* Alterum fortitudinem in melius mutare; *mutabunt fortitudinem*.

III. Mutabunt quidem non tantum ad volandum, ſed etiam ad vincendum, fortitudinem. Cujus rei præclara figura expreſſa eſt 4. Regum cap. 13. Volebat Eliſeus moriturus indicare aliquo exteriori

N 2 ſigno.

ſigno, Joaſo Regi Iſrael, quod Deo exercituum protegente eſſet de hoſtibus ſuis triumphaturus, juſſitque ei: *Percute jaculo terram.* Et cum percuſſiſſet tribus vicibus, & ſtetiſſet, iratus eſt Vir Dei contra eum, & ait: *ſi percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſive ſepties, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Militia eſt vita hominis ſuper terram, & dum in terra vivimus, cum terra ipſa confli&amur, in qua innumeros adverſarios experimur. Numquam triumphabit uſque ad conſumptionem hoſtium, qui contentus eſt ſemel pugnaſſe, & bis, aut ter jaculo terram percuſſiſſe, ſed frequentibus, iteratiſque ictibus, & conflictationibus opus eſt, ut inſultantes adverſarij fugentur, & proſternantur.

IV. Et quamvis multarum exercitio virtutum homines ſint inſtructi, animumque illis ornatum gerant, non ideo deſiſtendum eſt, nec à labore ceſſandum, cum ipſæ virtutes, quibus animus ornatur majori poſſint ſemper perfectione exerceri. Et cum Deus ipſe, quem veluti exemplar ante mentis oculos nobis proponere debemus infinitè à Creaturis ſit imitabilis; Qui divitias virtutis aſſequitur pulchritudinis ſtudium habere debet. Et hinc Eccleſ. cap. 44. inter cæteras laudes, quæ viris æterna memoria dignis tribuuntur, & qui nobis velut ampliſſimum patrimonium Cœleſtium exempla virtutum reliquerunt, hæc leguntur. *Homines divites in virtu-*

tute, pulchritudinis ſtudium habentes. Quemadmodum aurum, argentum, lapides pretioſi, homines divites efficiunt, ita & ipſæ virtutes, quas immortalis animus poſſederit. Homines tamen ſapientes, ac juſti hac poſſeſſione non elati, omne in pulchritudine virtutis ſtudium reponunt. Et quamvis nulla virtus ſit, cui ſummus omnium parens ſuam non indiderit pulchritudinem, & omnium bonorum operum honeſtas pulchritudo quædam ſit à ſummo bono, pulchroque derivata, tamen ob immenſas bonitatis, & pulchritudinis ſuæ divitias voluit Deus, ut non tantum pulchris virtutibus locupletaremur, ſed aſſiduo labore, ac ſtudio ad ſublimem illam, deſiderabilem, & ſpecioſiſsimam virtutem contenderemus. Exemplis res illuſtrabitur. Quod homines Divinam juſtitiam ſectentur, legem obſervent, ipſique Deo præcipienti fideliter obtemperent Cœleſtium virtutum poſſeſsio eſt. Quod verò ſummi Patris amore ducti omnibus ſe affectibus exuant, & Divinis præceptis chariſsimæ prolis amorem poſtponant, ut Abrahani; opus eſt non hominis tantum divitis in virtute, ſed pulchritudinis ſtudium habentis. Quod proximum diligamus, quod odia beneficijs compenſemus præclara virtus eſt, quæ hominem ditet, & æternis laudibus dignum reddat, quod verò ſummis beneficijs hoſtes afficiantur, quod quidem in invidos fratres in veteri teſtamento operatus eſt Joſeph, & in novo in

fra-

fratris occiſorem Joannes Gualbertus, hoc eſt ſtudium pulchritudinis habere. Dives es in virtute, ſi indigenti ſubvenias, ſi miſerearis oppreſſo, ſi redimas captivum. Quod verò ad nudum veſtiendum te veſtibus exuas, ut olim Martinus, pluresque alij, quorum geſta elapſa nobis ſæcula commendant, & omnis poſteritas venerabitur. Quod propter Captivos te ipſum in captivitatem redigas, pulchritudinis ſtudium eſt, quod poſt multarum divitias virtutum oſtendit Beatus Raymundus Nonnatus. Quicumque ad Cœleſtia faſtigia veluti generoſæ Aquilæ convolarunt, non tam divitias virtutum, quam earum pulchritudinem dilexerunt, ſcientes ipſius virtutis decorem eſſe æterni Purpuram Regnantis, & ſpecioſiſsimam veſtem varietate circumdatam, qua indutæ, immaculati ſponſi ſolio adſtant electæ ſponſæ, quæ vocantur ad nuptias.

V. Tertium genus eorum hominum eſt, qui malum deſtantur, bona cum ſtudio exercent, & cum multa egerint nihil ſe feciſſe reputant, non tamen contra aliorum vitia zelo fervoris inflammantur propriæ quieti aliorum ſalutem poſtponentes. Non loquimur hic de illis, quos Deus ne rerum exteriorum ſollicitudine premerentur, turbarenturque erga plurima, ſegregatos ab omni curarum ſtrepitu, in altiſſimam ſuæ bonitatis contemplationem vocavit. Neque de illis loquimur, qui ſe omnium minimos reputantes, omnique prorſus virtute exutos,

cum

cum meliores ſe ipſis omnes exiſtiment, alios arguere pertimeſcunt, ſed de illis loquimur, qui cum poſſint non tantum exemplo, ſed zelo, animas à vitiorum laqueis, ad virtutem revocare, reformidant, etiam vocati, laborem, & permittunt potius, animas proximorum, quas lucrari debebant, quam propriam pacem, tranquillitatemque perire. Iſtorum hominum exemplar clariſſima figura nobis proponit Seraphicus Doctor, quæ expreſſa eſt Judicum cap. 9. verſ. 8. & ſeqq. *Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ſe Regem: dixeruntque olivæ: impera nobis. Quæ reſpondit: nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dij utuntur, & homines, & venire, ut inter ligna promovear? Dixeruntque ligna ad arborem Fici: veni, & ſuper nos regnum accipe. Quæ reſpondit eis: nunquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructuſque ſuaviſſimos, & ire, ut inter ligna promovear? locutaque ſunt ligna ad vitem: veni, & impera nobis. Quæ reſpondit eis: nunquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum, & homines, & inter ligna cætera promoveri?* Qua quidem figura clariſſimè nobis inſinuatur plerumque amore proprio, publicum bonum contemni, hominemque ſui ipſius amantem aliorum utilitatem ſuo privato commodo poſtponere. Cum tamen ſummoperè curandum ſit alijs prodeſſe, dum poſſumus; Et hoc ſit magni hominis documentum altè, & tenaciter animo infigendum. Claud. de laud. Stilicon. *Non*

Non ſibi, ſed toti gentium ſe credere mundo.

Vide ut ſapientiſſimus rerum omnium artifex, nihil inutile, otioſumve condiderit. Ut Planetæ, Elementa, Plantæ, Animalia, Virgulta, Flores, omniumque herbarum genera ad publicam utilitatem conſpirent. Ut aperto ante omnium oculos hujus pulcherrimæ univerſitatis libro erudiatur homo ad publicum bonum, utilitatemque augendam, ut quam à ſummo bonorum fonte bonitatem accepit in alios quoque diffundat.

VI. Terrenarum curarum tædio affecta caſtiſſima ſponſa, & imminentibus laboribus perterrita tranquilliſſimæ ſolitudinis deſiderio conflagrabat, ut ſola, ſegregataque à ſodalium paſtorum turba, dulciſſimis dilecti ſui colloquijs frueretur. Hinc aiebat Cant. cap. 2. verſ. 6. *Indica mihi, quem diligit anima mea ubi paſcas, ubi cubes in meridie ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum*. Sed ſtatim hoc Divinum reſponſum accepit, quo à propriæ quietis amore revocaretur, & aliorum utilitati diligentius conſuleret. *Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos juxta tabernacula paſtorum*. Quaſi ei diceretur. An ignoras o amata ſponſa te eſſe à me infinitis prope dotibus ornatam, quæ te pulcherrimam, atque admirabilem reddunt? Cur laborem reformidas, cum amor fortis ſit, ac robuſtus, & amantes in otio verſari non patiatur? An ignoras te

non

non tibi uni, ſed & mihi, ſed & Reipublicæ natam? An ignoras te nec utilius quidpiam, nec tibi glorioſius, nec mihi gratius præſtare poſſe, quam in animarum ſalute procuranda mihi cooperari? Egredere, egredere jam, ut munus à me tibi injunctum ſolicitè exequaris. Abi poſt veſtigia gregum, ne te, aut aſperitas montium, aut tempeſtatum viciſſitudo, aut locorum varietas à ſuſcepto labore deterreant. Hoc poſco ut ſponſus. Hoc ut Rex præcipio. Abi poſt veſtigia gregum. *Quod infirmum conſolida; quod ægrotum ſana; quod confractum alliga; quod abiectum reduc, quod perijt quære*. Ezech. 34. Neque oves tantum tibi commiſſas exiſtimes, quarum cura jucundior eſt, ac ſuavior. Sed hædos quoque fætentes per devia ſaltantes moleſtos, & non minus ſeveritate, quam ſumma vigilantia, ac patientia regendos. Quod ſi tibi ad tantum opus adimplendum experientia opus eſt, præclariſsimo aliorum exemplo inſtrueris; Ne avertas oculos à tabernaculis Paſtorum, qui ſudoribus, ac vigilijs non pepercerunt, ut commiſſum gregem cuſtodirent, ad ſaluberrima paſcua dirigerent.

VII. Hæc tibi erunt certiſsima laborum ſolatia, quod mei cauſa pro alijs labores. Et ſuperatis laboribus caſtiſsimi ſponſi amantis complexus expectes.

VIII. Quartum denique genus (in quo verſari debent quicumque ad ſacras dignitates aſpirant)

O eo-

eorum eſt, qui ambulant in lege Domini, illius amore exardeſcunt aſcendentes de virtute in virtutem, qui alios verbo, & exemplo ad ipſam virtutem inſtituunt, dirigunt, inflammant, maximeque perturbantur cum vident Deum ab hominibus offendi. Zelus iſte effectus quidam eſt Cœleſtis amoris, nam, ut docet Angelicus Doctor 1. 2. quæſt. 2. art. 4. quanto aliqua virtus intenſiori vi in aliquid tendit, tanto fortius repellit contrarium. Unde cum amor ſit quidam motus, & propenſio in rem amatam, quo magis in rem ipſam amatam fertur, eo vehementius repellere nititur quidquid illum à re amata diſtrahit, & avertit. Hinc veri æternæ juſtitiæ amatores culpam execrantur, quæ homines docet ab ipſa ſempiterna juſtitia aberrare. Hinc pſalmus 44. legimus: *dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem*. Et pſal. 118. *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi*. Pſal. 138. *Nonne qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* Et pſal. 93. *Quis conſurget mihi adverſùs malignantes, aut quis ſtabit mecum adverſus operantes iniquitatem?* Quam neceſſarius autem ſit iſte zelus iis, qui alijs præſunt, & quibus de aliorum ſalute ſtricta eſt apud juſtiſſimum omnium Dominum, judicemque ratio reddenda, nemo eſt, qui apertè non fateatur. Cum exemplis plenæ ſint Divinæ literæ illorum hominum, qui in adminiſtranda Republica hac ſe virtute velut quadam Seraphinorum ala protegentes,

tes, immortalem in terris laudem, æternamque in Cœlo coronam ſunt conſecuti. Contra vero, qui illam propriæ utilitati poſtpoſuere, & illius documenta neglexerunt, coacti ſunt & proprij ſcæleris pœnas luere, & debitam alienis culpis ſententiam ſubire, quas punire, delere, ac perdere recuſarunt.

IX. Qui recti paſtoris munus cupit adimplere, retineat animo quæ leguntur Zachariæ cap. 11. v. 7. nempe. *Et aſſumpſi mihi duas virgas, unam vocavi Decorem, & alteram vocavi Funiculum, & pavi gregem*. Ubi nos legimus *Funiculum*, Hebraicus textus ponit חבלים Cobelim, quæ quidem vox eſt deducta à verbo חבל Cabal, quod varias habet ſignificationes, inter quas etiam eſt diſſipare, & perdere. Sciant igitur Paſtores ad regendum gregem ſibi commiſſum his duabus virgis uti. Aſſumant virgam Decoris, elegantiæ, venuſtatis, & jucunditatis, quæ omnia hebraica voce נעם Nogam exprimuntur: alliciant elegantia doctrinæ, decore, ac venuſtate morum, ac jucunditate exempli, ad Cœleſtia paſcua invitent. Altera autem virga, quod corruptum eſt, perdant, ac diſſipent: quidquid à recto tramite declinat fortiſſimè obſtringant; Nam oves errando pereunt. Sciant, quod ſupremus paſtor, ac *Dominus regnavit decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe*, ut decore attraheret ad imitationem, amoremque ſui, fortitudine verò omnes virtutis hoſtes corrigeret, coer-

ceret, repelleret. Sciant fortem illam mulierem ſummis laudibus in Proverbijs efferri non tantum ob pietatem, providentiam, atque induſtriam, ſed quia: *Fortitudo, & Decor indumentum ejus*. Pr. 31.

X. Sed cum non tantum bonorum operum ſplendor, integritas morum, ſed zelus quoque in Eccleſiaſticis Paſtoribus requiratur veluti altera virga, nempè Funiculus, cujus meminit Propheta Zaccharias à nobis laudatus. Examinare nunc cum Seraphico Doctore debemus, quomodo hæc virga, nempè juſtitiæ zelus adhiberi debeat. Et primo verus juſtitiæ zelator, ut inquit idem Seraphicus Doctor, intimo ſapore diſcernit, ut magis doleat de gravioribus tranſgreſſionibus, & de levioribus minus; ſapiens enim quaſque res ponderat prout ſunt, tam bonas, quam malas. *Inſipiens autem quandoque magna pro parvis reputat, & levia quaſi maxima ponderat, trabem feſtucam judicat. Tales zelo proprio feruntur, & non ſpiritu Dei in hac parte aguntur: ſicut quidam pro una inclinatione in Choro neglecta plus accenduntur puniendo, quam pro longa detractione de alio religioſo excitata. Gravius indignatur pro verſiculo, & rubrica neglecta, quam pro magna perturbatione cum ſcandalo procurata.*

XI. Convenit aliquando ut in parva peccata miſericordiam, in atrociora pœnam exerceas, quod in vita Agricolæ notavit Tacitus: *Parvis peccatis veniam, magnis ſeveritatem commodare, nec pœna ſem-*

Digitized by Google

ſemper, ſed ſæpius pœnitentia contentus eſſe. Deum totius Orbis rectorem imitabimur, ſi non minus judicium, quam miſericordiam adhibeamus. Quare Regius Pſaltes ſe Deo miſericordiam, & judicium cantaturum profitebatur pſal. 100. *Miſericordiam, & judicium cantabo tibi Domine*. Cum autem juſto zelo ad delicta punienda aliquis commovetur, non eſt ordo ipſius juſtitiæ prætereundus, ſed ut ait Seraphicus Doctor principaliter punienda, & dolenda eſt tranſgreſſio præceptorum Dei, & Eccleſiæ, deinde illorum, quæ ſub voto quiſque ſibi fecit neceſſaria. Deinde omnia ſcandala ſpeciem mali habentia; *Facilius autem gravius peccatum occultum curatur, quam tale ſcandalum, quia illud per ſecretam poteſt ſanari pœnitentiam, ſcandalum autem vix avellitur à cordibus omnium, ad quos fortè pervenit*: Sicut legimus 2. Reg. cap. 12. verſ. 13. & 14. Cum reprehenſus David à Propheta Nathan delictum ſuum confiteretur, delicti quidem veniam obtinuit, ſed damna delicti, ſcandalique commiſſi gravi ſupplicio punienda à Domino audivit. *Et dixit David ad Nathan: peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David; Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum: non morieris. Verumtamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini propter verbum hoc filius, qui natus eſt tibi morte morietur*. Sic gentium Doctor in Epiſt. ſua ad Rom. cap. 2. verſ. 24. eos graviter reprehendit, qui legis obſervantiam prædica-

dicarent, pravo tamen, ac deteſtabili exemplo alios ad peccandum inducebant; ac tandem concludit: *nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes.*

XII. Puniendi, & corrigendi etiam ſunt publicè peccantes, quorum vitia veluti peſtis longè, lateq; ſerpens aliorum animos inficiunt, atque contaminant. Sic Elias, ut narratur 3. Reg. cap. 18. cum Achab ei dixiſſet: *Tu ne es ille, qui conturbas Iſrael!* ſtatim reſpondit: *Non ego turbavi Iſrael, ſed tu, & domus Patris tui, qui derelinquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim.* Sic ut legimus ejusdem Capitis verſ. 40. omnes Prophetas Baal juſſit occidi. Sic ut 2. Machabæor. cap. 3. expreſſum eſt Onias Sacerdos viriliter reſtitit Simoni aliquid contra patrias leges, templumque molienti. Sic miro zelo fervebat Joannes in Phariſæos eos appellans genimina viperarum Matth. 3. Luc. 3. Sic Herodem pariter increpavit, quod uxorem fratris duxiſſet Matth. 14. Sic Stephanus Act. 7. Judæos arguebat dicens: *dura cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Sic Exod. 32. iratus eſt Moyſes contra populum ob vitulum aureum conflatum, & tabulas legis confregit indignum divinis inſtitutis judicans populum ventri, gulæ, libidini, ac ſuperſtitioſo idolorum cultui deditum. Sic Numer. 25. placuit Deo zelus Phinees, quando turpiſſimæ libidini initiatos propria dextera transfodit. Sic Joſue, ut ejusdem cap. 7. refertur,

Achan

Achan præcepit ab univerſo populo lapidari, ablatamque contra Domini præceptum ſuppellectilem comburi. Sic Mathathias 1. Machab. cap. 2. Gentilium cæremonias exercentes trucidabat ſuper aram.

XIII. Sed quoniam non gladius, ſed virga Paſtoribus conceſſa eſt ita animadvertant in delinquentes, ut zeli fervorem cum clementia, ſupplicij ſeveritatem cum patientia conjungant, expectantes aut emendationem eorum, quos arguunt, & quos punire aliquando non poſſunt, aut differentes in melius ſupplicij tempus, vel denique juſto judici illud reſervantes. Hujus rei figuram habemus 3. Reg. cap. 19. Jam omnes Baal Prophetas increpaverat, ac neci damnaverat Elias, hoſtes Domini ſupererant Achab, & Jezabel, a quorum ſe ille furore ſubtraxerat; ſed vehementer angebatur, ſe ſolum eſſe ex Prophetis Domini relictum, nec poſſe Divinas injurias vindicare. Statimque dictum eſt ei verſ. 11. *Egredere, & ſta in monte coram Domino: Et ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis, & fortis ſubvertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in ſpiritu Dominus, & poſt ſpiritum commotio: non in commotione Dominus; Et poſt commotionem ignis: non in igne Dominus; Et poſt ignem ſibilus auræ tenuis.* Scopus Dei in hac viſione fuit Eliam tædio, ac mœrore dejectum, ita quoque & zelo vehementiſſimo inflammatum ob Jezabelis,

cæte-

cæterorumque idololatrarum impunitatem ſolari ſimul, & erudire. Unde obiicit oculis illius, primò validiſſimum ventum, terræmotum, & ignem, quo deſignet ſibi omnia elementa, cæteraſque creaturas medias, ſummas, ad manum eſſe, ut idololatras, reliquoſque impios perdat, ſi velit, at non eſſe hunc uſitatum ſuæ providentiæ, & miſericordiæ modum. Unde addit. *Non in ſpiritu Dominus, non in commotione, non in igne Dominus.* Sed poſtea immittit ſpiritum lenem, quo deſignet Divinam patientiam, manſuetudinem, & lenitatem ad punienda peccata, quam induere, & imitari oportet eos, qui Paſtoris officium ſuſcipiunt, qui quidem ſpiritus, quamvis lenis dicatur, efficax tamen eſt, fortis ad punienda peccata; unde ſtatim innuitur à Domino vindicta brevi exercenda adverſus idololatras per Hazael Regem Syriæ, per Jehu Regem Iſrael, atque per Eliſeum Prophetam. Ita hunc locum eſponunt Tertullianus, Chryſoſtomus, Gregorius, & Tirinus.

XIV. Cavere etiam debet Eccleſiaſticus Paſtor, ne perturbetur ſtudium devotionis; nam, ut inquit Seraphicus Doctor, *Arida eſt omnis religio, quæ non oleo iſto ſaginatur. Lampades fatuarum virginum ſine oleo extinguntur* Matth. 25. Quare ad devotionem fovendam, & conſervandam ſemper invigilet, & hoc præ cæteris illi curandum eſt, ut fugiatur frequens diſſimilium converſatio. Nam, ut in-

inquit Seneca Epiſt. 105. *Eſt quædam dulcedo ſermonis, quæ irrepit, & blanditur, & non aliter, quam ebrietas, aut amor ſecreta producit.* Hac converſatione paulatim inficitur animus, & in vanas cogitationes prolabitur: Unde Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 15. verſ. 33. inquit. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* D. quoque Baſilius ſerm. 1. de inſtitut. Monach. ſic loquitur: *Intempeſtivorum quorumdam ſermonum, ac narrationum minimè convenientium cauſa eſt, ex quibus animus in futiles, minimeque neceſſarias poſtea cogitationes delabitur.* Hinc etiam Seneca lib. 3. de ira cap. 8. *Sumuntur*, inquit, *à converſatione mores, & ut quædam in contactos, corporis vitia tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit.* Et cum ſecum perpenderet quibus turbationibus ſubijciatur animus, cum nos aut nimium loqui, aut nimium audire delectat, ſic ſcripſit Epiſt. 7. *Nunquam mores quos extuli refero. Inimica eſt multorum converſatio. Nemo non aliquid nobis vitium, aut commendat, aut imprimit, aut neſcientibus allinit.* Quæ verba Juſtus Lipſius ibidem explanans, *aut commmendat*, inquit, *exemplo: imprimit ſermone, allinit converſatione.* Ad paſcua ducendæ ſunt oves, ſed extra ſtrepitum, ac turbam, ne in medio turbæ errando pereant, & importuno ſtrepitu præpeditæ amicam Paſtoris vocem non audiant, & ab amœnitate camporum, fontiumque ſalubritate revocentur. Duo poſtulabat caſtiſſima

P ſpon-

ſponſa, cum dicebat: *Indica mihi quem diligit anima mea ubi paſcas, ubi cubes in meridie: ne vagari incipiam*, Unum ne vagari cogeretur, alterum ut tranquillè ſuaviſſimis dilecti ſui colloquijs frueretur; attentio enim, animique tranquillitas, devotionem nutriunt, amorem excitant, caſtas, ſanctaſque cogitationes fovent, animumque ipſum Divinis commercijs aptant, & extra ſe ſe rapiunt, ut in Divina, altiſſimaque ſummi boni contemplatione verſetur.

XV. Quod ſi dum in terris vivimus, & ſtrepitus audire cogimur, & ab hominum frequentia diſtrahi non poſſumus, hoc nobis remedium proponamus, quod tradit idem Seneca lib. de tranquillit. cap. 15. inquit enim: *Miſcenda tamen iſta, & alternanda ſunt, ſolitudo, & frequentia.. Illa nobis faciat hominum deſiderium, hæc noſtri, & erit alter alterius remedium.*

XVI. Cavenda eſt etiam negligentia exterioris diſciplinæ; *Cujus deſertio*, ut inquit idem Seraphicus Doctor, *ſignum eſt neglectæ conſcientiæ*; Unde diligenter curandum eſt, ne pro libito quiſque vivat, & faciat, ut alij turbentur. *Diſciplina*, inquit Hugo Victorinus cap. 2. inſtitut. novit. *eſt compes cupiditatis, malorum deſideriorum carcer, frænum laſciviæ, jugum elationis, vinculum iracundiæ, quæ domat intemperantiam, levitatem ligat, & omnes inordinatos motus mentis, atque illicitos appetitus ſuffocat. Neque enim*, inquit D. Ambroſius lib. 3. Epiſt.

Epiſt. 25. *emendationem morum magis ætas affert, quam diſciplina.* Hic Regius Propheta cum animadverteret quantum ad regiam majeſtatem ſplendoris accedat, ſi animus illis virtutibus imbuatur, quibus regnantium thronus veluti ſplendidiſſimis gemmis refulget, ſummum omnium Regum Dominum, ac Magiſtrum tria rogabat edoceri: legimus enim pſal. 118. *Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me.* Quare D. Bernardus in 16. ſerm. eorum, qui parvi nominantur num. 5. *Hæc ſunt,* inquit, *quæ paſtori conveniunt: Bonitas attrahit, diſciplina corripit, ſcientia paſcit. Bonitas amabilem, diſciplina imitabilem, ſcientia docilem reddit.*

XVII. Ad verum juſtitiæ Zelatorem pertinet etiam, ut ſcribit Seraphicus Doctor, ne malum faciat, vel doceat, ne concedat propter importunitatem ne faveat, vel diligat fieri, etiam ſi eo irrequiſito fiat, ne diſſimulet, vel taceat, quaſi ad eum non pertineat, ne inultum patiatur, aliter punietur à Deo pro ſua negligentia, & peccata eorum, quibus præeſt, ei imputabuntur; pœnaſque etiam pro abuſione honoris perſolvet. Hæc omnia veluti rerum omnium agendarum ſumma altè à Paſtoribus retinenda ſunt.

XVIII. Ac primò ſciant dictum illud Caſſiodori lib. 11. var. cap. 8. nempe: *non poteſt auctoritatem habere ſermo, qui non juvatur exemplo: dum iniquum ſit bona præcipere, & talia non feciſſe.* Cumque ho-

mines exemplo vivant, à majoribus ſuis, vel virtutem, vel vitia contrahunt. Et quemadmodum putridus aer, fœtidique vapores ſenſim attracti, univerſam humorum maſſam ſuo mortifero livore conſpergunt, & quidquid ſanum eſt, demum contaminant, corrumpunt. Ita dum Paſtorum vitia, ſudditorum animos pervadunt in perniciem, damnumque convertunt quidquid illi malo exemplo didicerunt. *Vitia*, inquit Cicero lib. 3. de legibus, *non ſolum ipſi Principes concipiunt, ſed etiam in Civitatem infundunt; pluſque exemplo; quam peccato nocent*. Hinc cum verum ſit illud Plinij dictum in paneg. Trajan. *Quod vita Principis cenſura eſt, eaque perpetua, ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur*. Neceſſe eſt, ut quidquid aliorum Rectores jubent ipſi primi obſervent, ne videantur in præſcriptas leges malorum operum exemplo mentiri. Unde Claudianus paneg. in 4. Conſ. Honor. ſic cecinit.

In commune jubes, ſi quid cenſeſque tenendum
Primus juſſa ſubi; tunc obſervantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat cum viderit ipſum
Auctorem parere ſibi. Componitur Orbis
Regis ad exemplum; nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quam vita regentis
Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

XIX. Ut rectè in alios auctoritas exerceatur; prius in nobis dominium eſt exercendum, cohibendæ rationis fræno voluptates, omneſque affectus,

ne

ne interna tirannide oppreſſi, dignitates in miſerrimam ſervitutem convertamus. Hac de cauſa ſic ſcribebat ad Corinth. D. Paulus 1. cap. 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne cum alijs prædicaverim ipſe reprobus efficiar*. Auream etiam habemus D. Gregorij ſententiam, qui lib. 19. Moralium de Paſtoribus ſic loquitur: *Lex eſt ipſis poſita, ut vivendo impleant, quod loquendo ſuadere feſtinant, nam loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adiuvatur*. Ambroſius etiam in Pſalm. 118. inquit: *Ante vita, quam doctrina quærenda eſt: Vita bona ſine doctrina gratiam habet, doctrina ſine vita integritatem non habet*.

XX. Animadvertenda, circa exemplum, ſunt etiam illa documenta, quæ tradit Plato Dialog. 5. de legib. *Sapiens legumlator ſenibus præcipiat, ut ſint coram junioribus verecundi, ac ſummoperè caveant, ne quis juvenum eos, aut videat, aut audiat, agentes turpe aliquid, vel loquentes, nam ubi ſenes minus pudici ſunt, neceſſe eſt ibi juvenes impudentiſſimos eſſe, præſtans enim, & juniorum, & ſeniorum diſciplina eſt, non verborum increpatio, ſed ut quæ increpando quis diceret, vel monendo, eadem ipſe in omni vita facere videatur*.

XXI. Quod verò, ut inquit Seraphicus Doctor non debeat Paſtor permittere malum fieri, etiam ſi eo irrequiſito fiat, nec concedere propter aliorum importunitatem, ut tradita documenta negligantur, & obſer-

& obſervantiæ vigor minuatur, pluribus quidem probari poſſet. Sed una nobis ſufficiet D. Gregorij ſententia, qui lib. 9. reg. Epiſt. 42. reprehendens Urbicum Abbatem de abuſibus legum, quæ in ſuum Monaſterium irrepſerant, Sic concludit. *Quod ex nulla alia re evenire valuit, niſi quia tua dilectio in regimine ſuo inordinata eſt, nec cum gravitate valet aliquid diſponere; ſed modo ſtudet peccantibus leviter blandiri, modò inordinatè, & extra modum nimis iraſci. Nam ſi ſemetipſam in mentis ſuæ ratione tenere potuiſſet, ipſa ejus maturitas haberi in reverentia potuit, & diſciplinæ in Monaſterio ordo ſervari.* Quod denique Paſtorum negligentia ſit à Deo punienda, ut ſupra aſſerebat Doctor Seraphicus, & quod Paſtores de commiſſo ſibi grege ſint ſtrictiſſimam rationem reddituri, idem probat ex Cap. 33. Ezech. Prophetæ, cujus verſ. 8. & 9. ipſi Paſtores legant.

DIS-

DISSERTATIO UNDECIMA

De ſecunda Ala Seraphim, nempe de Pietate, ſive compaſſione Fraterna.

Compaſſio neceſſaria iis, qui præſunt. Virtus Deo gratiſſima, quæ ſub nomine Cheſed חסד *Clementiam, pietatem, benignitatem, & miſericordiam comprehendit. Explicatur locus pſalmi 88. Adducuntur teſtimonia Matth. 5. Lucæ 6. ad Hebr. cap. 2., & D. Petri Chriſologi aurea ſententia ſerm. 42. Exponitur verſus 22. pr. ad Corinth. cap. 3. Infirmi in duplici claſſe ſunt, alij corpore, & alij mente. Infirmi corpore per Seraphicum Doctorem ad tres claſſes reducuntur. Benigna infirmorum viſitatio. Charitatis officium eſt gratiſſimum Deo, & hominibus. Quomodo hoc officium adimplendum ſit, exponitur. Abuſus vitandus. Senectus aliorum ſubſidio indigens. Infirmi mente triplicis generis ſunt. Remedia huic triplici infirmitati congrua aſſignantur, & multa moralia documenta ex ſacris literis, ac Patribus traduntur.*

I. QUantum neceſſaria ſit illis, qui ad Divinum Thronum propiùs accedunt, Pietas, ſive Compaſſio fraterna, dubitare nemo poterit. Nam ſublevatio humanæ miſeriæ eſt actus miſericordiæ, & ideo hoc nomine Pietas, Cle-

Clementia, ſolent in ſacris literis exprimi, nomen enim חסד Cheſed, non tam Pietatem, Clementiam, Benignitatem, quam Miſericordiam ſignificat, quæ virtus eſt Deo gratiſſima, voluit enim, ut non tantum in æternum ædificaretur in Cœlis, juxta ea quæ legimus Pſal. 88. *quia dixiſti in æternum miſericordia ædificabitur in Cœlis*, quam ut primatum ſuper omnia admiranda ejus opera obtineret. *Miſerationes ejus*, inquit idem Propheta pſal. 44. *ſuper omnia opera ejus*. Hanc virtutem veluti totius perfectionis ſummam nobis propoſuit Chriſtus Magiſter, & Redemptor. Cum enim dixiſſet Matth. 5. *Eſtote perfecti ſicut & Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt*. Ad imitationem miſericordiæ Patris Cœleſtis nos poſteà invitavit Luc. cap. 6. *Eſtote*, inquit, *miſericordes, ſicut, & Pater veſter miſericors eſt*. Hæc illa virtus eſt, qua tamquam pretioſa gemma, altiſſimum æternæ majeſtatis ſolium ornatur, & cujus clariſſimo ſplendore cæteræ virtutes illuſtrantur. *Pulchra quidem eſt caſta generatio, ſed cum charitate*, ut legimus Sap. cap. 4. Placent quidem Deo ſacrificia, ſed abſque miſericordia contemnuntur dicente Deo Mich. cap. 6. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*. O qualia miſericordiæ ineffabilis documenta nobis præbuit Deus, cum per viſcera miſericordiæ viſitavit nos Oriens ex alto! Tradiderat ille prius per ſuos Prophetas excelſa tantæ virtutis rudimenta, & præcipuè per Iſaiam, qui ut homines

mines ad ſubveniendum alienis miſerijs provocaret, eos voluit meminiſſe carnis ſuæ, inquit enim cap. 58. *Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris*. Hoc exemplum ab optimo Patre accepimus. Ut noſtris miſerijs mederetur Verbum Caro factum eſt. *Debuit*, inquit Apoſtolus ad Hebr. 2. *per omnia fratribus aſſimilari, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus potens eſt & eis, qui tentantur auxiliari.*

II. Aurea verò ſunt D. Petri Chriſologi dicta, quibus ille ſerm. 42. Divinam nobis miſericordiam commendat. *Magna*, inquit, *ſunt opera Domini, ſed magnitudinem præcellit miſericordiæ magnitudo; nam cũ dixiſſet Propheta: magna opera Domini, adjecit alibi miſericordiæ ejus ſuper omnia opera ejus. Miſericordia fratres, implet Cœlum, replet terram, Domine, inquit, in Cœlo miſericordia tua. Et idem ipſe: miſericordia Domini plena eſt terra. Et revera fratres, perijſſet totum, quod Deus fecerat, niſi miſericordia ſubveniſſet. Culpa, & ultio quidquid in hunc mundum venerat, auferebant, quia & fragilitas ſemper tendebat ad lapſum, & cogebatur ad vindictam ſemper cenſura judicantis. Sic Angelus, deijcitur è Cœlo, ſic de Paradiſo exulat homo, ſic mundus diluvio deletur, ſic gentes confunduntur linguis, dantur gladio, ſic exuriuntur Urbes incendio Divino, ſic ex Ægipto plebs educta, in Eremo occulelatur, ſic ter-*

rabians vorat populum: Et ne multis. Sic Judæorum ultor Chriſti Sanguinis Romanus delevit exercitus. Hæc eſt Chriſti magna, larga, ſola miſericordia, quæ judicium omne in diem ſervavit unum, & homini totum tempus ad pœnitentiæ deputavit inducias, ut quod de vitijs infantia ſuſcipit, rapit adoleſcentia, invadit juventus corrigat vel ſenectus, & de peccato vel tunc pœniteat, quando ſentit jam ſe non poſſe peccare, & tunc ſaltem reatum deſerat, quando illud reliquerit jam reatus: faciat de neceſſitate virtutem, moriatur innocens, qui totus vixit in crimine.

III. Neq; ſatis nobis eſt ſi Divinam miſericordiam ſummis laudibus extollamus, niſi ſumma ope nitamur illam imitari, & per miſericordiæ gradus ad Divinum ſolium evehamur, de quo prædixit Iſajas cap. 16. verſ. 5. *Et præparabitur in miſericordia ſolium*. Convertamus oculos mentis ad Divinæ Bonitatis faſtigium, & frequenti recordatione diffuſæ in nos miſericordiæ, ad ipſam miſericordiam excitemur: miſertus eſt Dominus humano generi, quod per primum Parentem à juſtitia ceciderat injuſto amore potentiæ. Cognovit figmentum noſtrum, recordatus eſt, quoniam pulvis ſumus, & ita miſertus eſt, ut fieret miſericordia noſtra, quare inquit Propheta pſal. 58. verſ. ult. *Adiutor meus tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor meus es, Deus meus, miſericordia mea*. Ut ſitiret cum ſitientibus, cum eſurientibus eſuriret, cum afflictis triſtaretur, turbare-

baretur cum timidis, infirmaretur cum ægrotis, carnem noſtram ſuſcepit infirmitatibus obnoxiam, imò & mortem noſtram, ut mors ipſa nobis debita nobis non noceret. In redemptore ergo, ac Pontifice noſtro infirmitatibus circumdato, & tentato per omnia pro ſimilitudine abſque peccato, admirabile habemus miſericordiæ exemplum, ſcientes, quod per viſcera miſericordiæ ſuæ viſitavit nos oriens ex alto. Quemadmodum igitur ſublimis, atque altiſſimus Deus, per miſericordiam ad nos acceſſit, in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, ita & nos miſericordia ducente ad Thronum gratiæ debemus aſcendere. Ad quod promptius exequendum Doctoris gentium monita, quæ myſterio, ac profunditate non vacant ſedulò perpendenda ſunt. Ipſe enim 1. ad Corinth. cap. 3. verſ. 22. & 23. inquit. *Omnia enim veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Quæ quidem verba magnum Pietatis, miſericordiæque Divinæ Sacramentum videntur innuere. Si enim miſericors Pater omnia cum filio nobis donavit, & Filium noſtrum, & cum Filio omnia noſtra effecit, ita omnia noſtra ad Filium, & cum Filio ad Patrem ſunt referenda, quomodo autem poſſumus omnia noſtra, & nos Chriſto tradere, ut ipſe nos ad æternum Patrem dirigat, nos offerat, donet, atque in perpetuum tradat, niſi in terris hujus clementiſſimi filij membra efficiamur, ipſique tenaciſſimo

nexu copulemur? At quomodo unimur, quomodo copulamur, niſi per charitatem, ac miſericordiam, qua & ipſi pro nobis morienti, & membris pro quibus mortem ſuſcepit compatimur? Dum enim compatimur, nos eſſe membra illius oſtendimus, & dum proximorum languoribus commovemur, expreſſis miſericordiæ noſtræ argumentis declaramus, nos eſſe eorum membrorum partes, quæ Chriſtus ſua membra effecit. En quam neceſſaria miſericordia illis omnibus, qui ad Divinæ majeſtatis conſpectum cupiunt aſcendere, & qui in terris ſupra cæteros elevantur.

IV. Quia verò D. Bonaventura, cujus veſtigia ſequimur in hac ſex alarum myſtica expoſitione, miſericordiam, ſive compaſſionem, qua Eccleſiaſtici Paſtores uti debent, & quam erga proximum exercere tenentur ad alios actus iſtius virtutis reducit, nempe ad compaſſionem, quà infirmi ſunt ſublevandi, ideo in hac explicanda aliquantulum immorabitur.

V. Infirmos in duplici claſſe conſtituit S. Doctor, cum alij ſint infirmi corpore, alij mente: utriſque debet bonus Paſtor prompto remedio ſubvenire. Rurſus infirmi corpore ad tres claſſes reducuntur, alij enim in lectulo detinentur, morbo aliquo gravati. Alij quamvis non actualiter decumbant, ſæpe tamen doloribus affliguntur. Alij denique ob ætatem, ſive ob aliquod corporis vitium debiles ſunt,

atque

atque impotentes, ut humanas actiones, & communia cæterorum hominum officia poſſint exercere. Infirmis igitur actuali infirmitate laborantibus ſuccurrendum eſt primo medicinæ opportuno remedio. Et hinc Eccleſiaſtici cap. 18. verſ. 20. *Ante languorem adhibe medicinam*. Et cap. 38. *Honora medicum propter neceſſitatem: Etenim illum creavit Altiſſimus*. Verſ. 4. & ſeqq. *Altiſſimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. Nonne à ligno indulcata eſt aqua amara? Ad agnitionem hominum virtus illorum, & dedit hominibus ſcientiam altiſſimus, honorari in mirabilibus ſuis*. Et verſ. 11. *Da locum medico, etenim illum Dominus creavit: Et non diſcedat à te, quia opera ejus ſunt neceſſaria*. Quibus verbis docemur in languoribus tam noſtris, quam aliorum, humana eſſe quærenda remedia; Quia vitæ noſtræ, mortiſque Dominus, ad quem in languoribus noſtris prius eſt recurrendum, voluit illa non eſſe à nobis contemnenda. Viſitandi etiam ſunt infirmi, cum hæc amoris, ſive compaſſionis officia, & Chriſtus præcipiat, & fraterna charitas exigat. Hinc Matth. cap. 25. reputantur æterno præmio digni qui inter cætera pietatis opera hoc etiam adimpleverunt. *Infirmus, & viſitaſtis me*.

VI. Hæc autem benigna viſitatio, quale ſolatium infirmis conferat, teſtatur Seneca Epiſt. 78., ubi inquit: *Mihi multum contulerunt ad bonam valetu-*

letudinem amici, quorum adhortationibus, vigilijs, ſermonibus allevabar. Nihil æquè ægrum reficit, atq; adjuvat, quam amicorum affectus, nihil æquè expectationem mortis, ac metum ſurripit.

VII. Sed quoniam multi ſunt, qui dum his officijs ſeſe adimplere exiſtimant, quia debitum modum non ſervant, moleſtiam potius ægrotis afferunt, quam ſolatium, ideò non inutile erit, ſi breviter inſinuemus quomodo circa infirmos ſe gerere debeant illi, qui aut ex officio inſerviunt, aut ex charitate viſitant. Atque in primis commiſerationem erga eos ſuadet D. Gregorius Nazianz. Orat. 16. inquit: *Si nihil habes illacryma: magnum calamitoſo remedium eſt miſeratio ex animo collata: ac verè, & ſincerè condolere, calamitatem magna ex parte levat.* Et Epiſt. 189. ad Tiract. *Commiſeratio magnam ad levandum dolorem vim habet; & qui æger eſt ejus, qui integra valetudine utitur, medicam manum requirit.* S. Damaſcenus lib. 2. Parall. cap. 99. ad infirmorum viſitationem ita adhortatur. *Si propter egeſtatem nihil habeas, quod pauperi impertias, te ipſum offer, & verborum conſolationem, ipſi muneris loco adhibe. Infirmus eram*, inquit, *& non viſitaſtis me. Opes non habes? At pedes habes, & os, & ſermones. Ingredere, & conſolare, ac mœrorem pelle, alacrioremque, ac patientiorem ægrotum redde.* Hanc commiſerationem erga infirmos, antiquos etiam obſervaſſe memoriæ proditum eſt

& ne

& ne ſingulos commemoremus, ſufficient quæ in Trajano laudat Plinius junior, qui aſſiduus erat in ægrotis inviſendis. Titus etiam, qui orbis amor, ac deliciæ vocabatur, ægrotantes non modo inviſebat, ſed etiam per ſemetipſum reficiebat. De Adriano referunt Lampridius, & Spartianus, quod ægros bis, ac ter die, & nonnullos *Equites Romanos, ac libertinos viſitavit, ſolatijs refovit, conſilijs ſublevavit*. Quam quidem conſuetudinem excellenti quodam, atque heroico modo obſervarunt, retinueruntque viri pietate inſignes, ac Chriſti imitatores, qui languores noſtros tulit, infirmitates noſtras portavit, ut nobis mederetur, illi enim ſumma quadam erga infirmos miſeratione commoti, non facultates tantum ſuas pro eorum curatione profuderunt, ſed extremo quoque periculo vitam expoſuere.

VIII. Hæc autem Chriſtianæ Charitatis argumenta exemplo debent eſſe ijs, qui infirmos viſitant, ut ſedulò perpendant, quid erga eos agere, quomodo in tam utili officio incedendũ; illud enim non ſolis actibus corporis, ſed affectu quoque animi, atque interna miſeratione exercendum eſt. Curioſitas, non charitas eſt, ſi ad infirmum accedas, ut illum tantum videas, ut cum eo loquaris. Hoc Sacerdos, & Levita præſtiterunt, qui hominem à latronibus ſpoliatum, graviterque vulneratum prætereuntes viderunt, nullum prorſus tantis malis ſub-

ſidium

ſidium miniſtrantes, cum tamen hoc & Charitas poſtulaſſet, & omnes leges exegiſſent. Deus enim; qui juſſit in veteri lege, ut homines etiam erga beſtias aliqua benignitatis indicia exhiberent; utpote Exod. 23. v. 4. Deut. 14. verſ. 21. 22. verſ. 6. 25. verſ. 4. Exod. 23. verſ. 5. Multo magis præcipit, ut homini indigenti, & infirmo ſuccurramus.

IX. Sunt tamen aliqui (quod ſummopere vitandum eſt) qui dum miſericordiam imprudenter exercent, moleſtiam potius infirmo, quam ſolatium, aut remedium afferant. Nam & morbi cauſas ſæpe inquirunt; ſtatum infirmitatis examinant, quæ remedia fuerint adhibita interrogant; de eorum utilitate diſputant, & ægrotum prolixo examine torquent: Quibus poterit ille cum Job cap. 16. reſpondere: *Conſolatores oneroſi omnes vos eſtis, numquid non habebunt finem verba ventoſa?* Alij autem non infirmorum mala inquirunt, ſed morbos etiam ſuos exponunt, narrantes qua ſtomachi nauſea, quanto calore laborent, qua triſtitia opprimantur, quantas vigilias patiantur, quod quidem Ægroto diſcumbenti injurioſum eſt, illi enim ſingulares exiſtimat dolores ſuos, vultque, ut tales ab omnibus reputentur. Hinc in Threnis Jerem. legimus: *attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Et ſapienter idem Propheta volens afflictam Urbem conſolari Thren. cap. 2. ſic exorſus eſt. *Cui exæquabo te, vel cui aſſimilabo? Magna eſt enim velut*

mare

mare contritio tua. Nemo enim eſt inter viſitantes infirmo moleſtior, quam qui exterius profitetur, ſe non credere infirmo dolenti, & qui narranti dolorum acerbitatem, illud nihil eſſe, ſolaque imaginatione conſiſtere conſtanter affirmat. Cautè igitur in viſitatione infirmorum, ac prudenter incedendum eſt, ne importunitate viſitantis morbus exaſperetur, & officia male adhibita reddantur injuriæ. Debemus eſſe cum infirmis infirmi, exiſtimantes eorum dolores noſtros eſſe, eorum infirmitates ad nos quoque pertinere. Et quicumque aliquid ipſis miniſtrat, aut ex officio, aut ex charitate, hoc promptè, & ſumma quadam etiam vultus hilaritate fiat; Nam Eccleſiaſtici cap. 35. legimus. *In omni dato hilarem fac vultum tuum*. In quo quidem multi errant, qui acerbo, torvoque vultu officia charitatis adimplent, qui exteriorem nauſeam oſtentant, qui infirmos reprehendunt, quia nimirum conquerantur, qui eorum impatientiam augent, dum arguunt, & crudeli pietate perdunt quidquid prudenti, ac diſcreta pietate lucrari poterant, ut merito queri poſſit infirmus, ac vehementer dolere, verba pſalmi 68. uſurpans: *Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit. Et qui conſolaretur, & non inveni.* Et verſ. 27. ejusdem pſalmi: *Quoniam quem tu percuſſiſti perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt*. Quid enim gravius, ac Chriſtianæ Charitati injurioſius eſſe poteſt, quam ſi

R affli-

afflictum à Deo affligamus, & doloris moleſtiam moleſtia noſtra augeamus?

X. Hæc verò Chriſtianæ pietatis officia, quæ infirmis in lectulo decumbentibus impenduntur, non ſunt illis ſubtrahenda, qui ad ſecundum infirmorum genus, juxta Seraphici Doctoris enumerationem attinent, nempè ijs, qui per domicilium ambulant, ſed quandoque aliquo morbo, cui ſubiecti ſunt, detineri ſolent, ſuadet enim Charitas, ut Paſtores, ipſis non tantum remedijs medicinalibus ſuccurrant, ſed relaxatione rigoris, & ſubtractione laboris opportunum remedium afferant. Eſt enim quoddam deteſtabile crudelitatis genus grave onus, & importabile infirmorum humeris imponere. Quod ſi Deus in veteri Teſtamento præcepit, ut irrationabilibus animantibus aliqua humanę compaſſionis officia tribuerentur; & hinc Exod. 23. v. 5. legimus. *Si videris Aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſublevabis cum eo.* Quanto magis exercenda Charitas eſt erga eos, qui membra noſtra, & caro noſtra ſunt; & qui ad imaginem, & ſimilitudinem Divinam ſunt creati!

XI. Quoniam verò ſenectus inter corporis infirmitates eſt reponenda, cum meritò morbus appelletur, ideò ſenes Prælatorum etiam ſubſidio indigent, & ad tertium genus eorum attinent, qui corporalibus infirmitatibus laborant. Subveniendi autem ſunt propter vitæ ſuſtentationem, quàm per

ſe

ſe ipſos procurare non valent, nec deſerendi ſunt, eo quod nulla ſit ſpes convaleſcentiæ, ſed quo major eſt miſeria, eo major charitas requiritur, & quo minor eſt humanæ retributionis ſpes, eo major eſt beneficij laus, major in Cœlis retributio. Diſcant ergo qui alijs imperant, aliorum neceſſitates ſuas facere, & ſubditorum miſerijs ſervire. Illi digni imperio ſunt, qui non ſuæ, ſed aliorum utilitati conſulunt, & qui divinum, ſanctum, juſtumque Pontificem imitantur, qui pro ſubditis animam poſuit, & quo nemo majorem charitatem habuit. Hæc de infirmis corpore.

XII. Infirmos mente in triplici claſſe conſtituit idem Seraphicus Doctor, aliqui enim ſunt, qui ex defectu devotionis, vel impulſu tentationis proni ſunt ad peccatum, quibus aptari poſſunt illa Apoſtoli verba ad Corinth. 1. cap. 2. *Inter vos multi infirmi, & imbecilles.* Alij, qui quidem bonæ voluntatis ſunt, ſed tamen ex quocumque levi motivo puſillanimes fiunt, deſperant, & commoventur; ad quorum ſolatium hortatur Apoſtolus ad Rom. cap. 15. verſ. 1., cum inquit: *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere.* Alij denique, qui ſunt imperfecti, & laborantes omni ſpirituali infirmitate, in quorum perſona loquitur Propheta pſal. 6. *Miſerere mei Domine quoniam infirmus ſum.*

XIII. Inter remedia autem, quæ hujuſcemodi

infirmis debent adhiberi. Primum eſt, ut omnis prorſus ſcandali occaſio, ut omnis peccandi opportunitas ſubtrahatur, eos enim, qui ad malum proni ſunt, & facile labuntur, & corruunt, ſumma ope niti decet, ne videant, ne audiant, ne vagentur, in quo etiam Prælatorum vigilantia, & Paſtoralis ſollicitudo expoſcitur. Cum enim per apertas, maleque cuſtoditas ſenſuum portas ingrediuntur vitia, animi ſedem occupant, & conceſſi ſemel hoſpitij beneficium in miſerrimam tirannidem vertunt. Claram iſtius rei figuram habemus Geneſ. cap. 34. ubi verſ. 1. narratur: *Egreſſa eſt autem Dina filia Liæ ut videret mulieres regionis illius, quam cum vidiſſet Sichem filius Hemor Hevæi princeps terræ illius adamavit eam, & rapuit, & dormivit cum illa, vi opprimens virginem.* Qui æmulatur Sanctorum vitam, & cujus converſatio in Cœlis eſt, ſolitudine, ac ſilentio illibatum animæ candorem cuſtodiat. Hæc virgo eſt, atque ad immaculata connubia Divini ſponſi deſtinata. Avertat oculos, ne videant vanitatem, & ſe intra ſeipſam colligens egredi pertimeſcat, ne perniciosa curioſitate feratur in regionem umbræ mortis; ubi ſævo, teterrimoque principe, qui hanc regionem inhabitat, opprimatur, violetur, & priſtino decore amiſſo ſempiternum opprobrium incurrat.

XIV. Secundum remedium eſt, ut crebræ exhortationes adhibeantur, utque puſillanimes, &

qui

qui facilè deſperant, & commoventur, exemplis patientiæ confoveantur. Et quod majus, aut illuſtrius exemplum ad confirmandos debiles, quam ſi ipſis brevitas laboris, & pœnæ, præmij magnitudo, atque æternitas proponatur! Nam, ut inquit Apoſtolus: *Momentaneum hoc, & leve noſtræ tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in Cælis*. Et quod majus in laboribus, atque ærumnis ſolatium, quam ſi afflictis enuncientur, enarrenturque acerba illa tormenta, quæ innocens pro injuſtis perpeſſus eſt, & quam conveniens ſit, ut qui ad bona non interitura contendunt ſub capite ſpinis coronato militantes, ipſum intueantur, atque imitentur, fortes ſint, atque conſtantes in agone, donec ad promiſſam palmam perveniant; illi enim, qui pro corruptibili corona decertant ab omnibus ſe abſtinent, nec laboribus, periculis, aut vulneribus in ipſo agone deterrentur, ſed ſuſtinent virili animo, nec tædio laboris, aut metu periculi, aut impatientia vulneris inflicti ab incepto deſiſtunt. Quanto magis ſumma ope niti decet eos, ne deſiſtant, timeant, aut vincantur, qui ſperant inæſtimabile bonum, ſempiternam requiem, immortalem coronam, & ante quorum oculos quotidie verſantur illuſtria Amicorum Dei, fortiſſimorum Martyrum exempla, quibus in hac vita, non vanæ terræ deliciæ, non honores, ac divitiæ propoſitæ, & collatæ ſunt, ſed calix amariſſimus dolorum, & pœnarum,

rum, quem prius innocentiſſimo Redemptori, & delicta noſtra, & hominum crudelitas propinarunt!

XV. Tertium remedium eſt, ut Eccleſiaſtici Prælati à duris increpationibus abſtineant, Patres enim ſunt, ad quos ſpectat ſpirituales filios optimis exemplis ſanctiſque inſtitutis regere, paſcere verbo Veritatis, & à quibus valdè alienum eſt contumelioſis verbis filios provocare, cum dicat Apoſtolus ad Coloſſenſ. cap.3.v.21. *Patres nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ut non puſillo animo fiant*. Nimium falluntur, qui ſeſe feliciter ſperant dominaturos cum duris increpationibus ſubditorum animis timorem ingerunt, atque incutiunt: felicius eſt amari, quam timeri; & qui antiquorum Regum monumenta revolvunt, optimè intelligent crudele Roboami reſponſum ſubditorum animos ad defectionem provocaſſe regni amplitudinem minuiſſe, & decem electi populi Tribus exoſæ tirannidis ſuſpicione percuſſas, ad novi Regis obedientiam inclinaſſe. Longa etiam experientia diſcent hoc unum concordiæ, ac tranquillitatis publicæ fundamenta penitus evertere, ſi illi quibus dominamur ſe non amari intelligant. Amor igitur, non ambitio myſticum corpus conſervat, amor animos attrahit, & dum multos habes, qui ſe abs te amari cognoſcant, plures habes, quibus domineris, & quorum voluntates, clementia, benignitate, atq;

amo-

amore in tui obſequium vertas. Tuas æquo animo ferent infirmitates, ſi charitate duce alienas ferre didiceris. Hinc D. Bonaventura, loco jam cit. hortatur Eccleſiæ Prælatos, ut ſubditorum infirmitatibus compatiantur; Et proponit reſponſum Jacobi ad Eſau fratrem ſuum, quod legimus Geneſ. cap. 33. verſ. 13. *Noſti Domine mi, quod parvulos habeam teneros, & oves, & boves fætas mecum: Quas ſi plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges.* Deinde hoc ſalubre documentum præbet. *Qui parvulos imperfectos, & aliquam bonam voluntatem habentes plus urget in exercitio virtutis, quam ſecundum gratiam, quam acceperunt, etiam illud, quod jam habent ſupra vires agitando extinguit in eis, ad quod alluſit Paulus 1. ad Teſſalon. cap. 2. facti ſumus parvuli in medio veſtrum.* Hinc de Paſtoribus contrarium agentibus conqueritur Dominus Ezechielis cap. 34. verſ. 3. & 4. nempè: *Gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis; quod confractum eſt non alligaſtis, & quod abiectum eſt non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiſtis: ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia.* Quibus divinis increpationibus inſtruimur, & non obſcurè cognoſcimus, quanta à Prælatis adhibenda induſtria ſit, atque diligentia erga commiſſum ſibi gregem, ut quod infirmum eſt, miſericordia ſanetur, quod diſperſum eſt, & abiectum, non minus

pru-

prudentia, quam vigilantia; & clementia iterum revocetur, & reducatur. Hinc etiam D.Bernardus ſerm. 23. in Cantica acriter reprehendit eos, qui impoſiti ſibi muneris obliti, honorem quærunt, ac gloriam, onus autem, & labores contemnunt, reformidant. Qui Paſtoris officium in tirannidem crudelem vertentes Dominos ſe eſſe exiſtimant, Patres eſſe nolunt, inquit enim. *Ut quid gravatis jugum veſtrum, cum cernitis diſcipulorum, quorum vos potius jugum portare debetis? Ponite onera, producite ubera, lactate pecora. Quieſcant. Etſi interdum ſeveritate opus ſit, paterna ſit non tirannica juxta illud Num.* 11. *porta eos in ſinu tuo.*

DIS-

DISSERTATIO
DUODECIMA

De tertia Ala, nempe de patientia.

Patientia Citbara comparatur à D. Auguſtino, & eius ratio. Patientia nihil utilius ex Tertulliano. Eadem virtus propter tria dicitur neceſſaria à D. Bonaventura. Varia exempla ex rebus naturalibus adducuntur.

I. Quemadmodum ſacræ nobis literæ commemorant eos, qui Divino aſſiſtunt Throno, æternæ Majeſtati gratiſſimas laudes perſolvere, quibus beatiſſimi illi Cœleſtis Jeruſalem Cives delectentur; Ita cum Eccleſiæ Prælati eorum celſitudinem, virtuteſque æmulentur qui propiùs Deo in excelſo Throno ſedenti famulantur, oportet eos patientiæ virtute ornari, non minus, ut promptè, atque expeditè arduum opus in terris ſibi commiſſum exequantur, quam ut tantæ virtutis ſplendore, atque ornatu Deo magis placere poſſint. Hinc D. Auguſtinus in pſ. 42. patientiam Citharam eſſe affirmat, ærumnas verò, ac tribulationes eſſe chordas, quæ dum pulſantur, melodiam

in auribus Dei ſuaviſſimam edunt. *Omnis enim*, inquit, *patientia dulcis eſt Deo, ſi autem in tribulationibus defeceris, Citharam fregiſti*. Et profectò nihil patientia utilius eſſe poteſt ijs qui in Eccleſia præſunt in tanta temporum viciſſitudine, in tanta morum varietate, in tanta vigilantiæ neceſſitate, cum enim grave onus ſuſceperint, & debitores ſint animarum, ad quas regendas, paſcendas, inſtruendaſque vocati ſunt, ſemper timere debent, ne juſtus Dominus, qui commiſit, commiſſi rationem expoſcat, negligentes puniat, & quidquid vigilantiæ defectu perditum eſt de manu Paſtorum exigat, ac requirat. Illi vero, qui in exercitio ſuſcepti muneris patienter ſe gerunt, Deum quodam modo debitorem, ac ſequeſtrem habent operis ſui, & nihil timent, ac reformidant. Hinc Tertullianus de patient. cap. 15. inquit: *Adeo ſatis idoneus patientiæ ſequeſter Deus, ſi injuriam depoſueris penes eum, ultor eſt: ſi damnum, reſtitutor eſt; ſi mortem, reſuſcitator eſt. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeas debitorem! Omnia enim placita ejus tuetur, omnibus mandatis ejus intervenit.*

II. Animæ virtutum ſplendore fulgentes, ac ſanctis dotibus ornatæ, quales debent eſſe illæ, quæ cæteris præſunt, eminent, atque invigilant, ſunt frumenta inter zizania, ſunt grana inter paleam, ſunt lilium inter ſpinas. Hinc D. Auguſtinus in pſ. 99. inquit: *Quid enim audit Eccleſia? ſicut lilium in*

medio

medio ſpinarum, ita proxima mea in medio filiarum: non dictum eſt in medio alienarum, ſed in medio filiarum. O Domina quomodo conſolaris? Quomodo confortas? Quomodo terres? Quid eſt, quod dicis. Sicut lilium in medio ſpinarum, ita proxima mea in medio filiarum? Quas dicis ſpinas? Ipſas filias reſpondet. Spinæ ſunt propter vitioſos mores ſuos, filiæ propter ſacramenta mea. Inter illas neceſſe eſt, ut gemamus.

III. D. verò Bonaventura, cujus in myſticis alis exponendis præclara veſtigia ſectamur, inter omnes virtutes Paſtoribus Eccleſiæ, qui Seraphinos æmulantur patientiam neceſſariam eſſe affirmat. *Sicut enim*, ait, *tectum Tabernaculi, ut interiora munda manerent, & nitida, excepit in ſe pulveres, imbres, & ventorum impulſus. Ita ſuperiores, qui fideliter ſubditos ſuos defendunt e turbine peccati neceſſe eſt ſæpe diverſarum excipere tempeſtates adverſitatum. Eſt ergo neceſſaria patientia propter tria. Primo propter multiplices curas, & labores. Secundo propter tardum profectum eorum; pro quibus fatigatur.* Hinc pſ. 118. dictum eſt, *tabeſcere me fecit zelus meus pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Et pſ. 68. *Zelus domus tuæ comedit me. Tertio propter ingratitudinem eorum, pro quibus laboramus, ſcilicet, quod vix inquam eis ſatisfaciamus, quod ſæpius conquerantur, quod poſſet eis melius fieri. In quo ſuperior perplexus eſt, an debeat eorum importunitatibus cedere.*

IV. Quicumque arduum opus aggreditur, neceſſe eſt, ut comitem habeat, ac magiſtram patientiam, ut labore non deterreatur, ut adverſis non cedat, non ſuccumbat, ut propter difficultatem non deſperet, quis enim crederet inter ſpinarum horrores, & inter pungentes aculeos, quibus agricolarum manus lacerantur roſam naſcituram, quæ pulchritudine ſua alliciat, ſuaviſſimo odore recreet? Quis tanta induſtria plantata virgulta excoleret, conſervaret, niſi patientia doceret expectandum tempus, contemnendum laborem, ſperandum fructum? Hinc Eccleſiaſtes cap. 11. verſ. 4. nos docet: *qui obſervat ventum, non ſeminat, & qui conſiderat nubes, numquam metet*. Et experientia ipſa magiſtra compertum eſt, impatientia omnem fructum perdidiſſe eos, qui præſunt, nec unquam ad veram laudem, quæ eſt laboris merces, pervenire potuiſſe. Quare Proverb. cap. 14. verſ. 17. ſcriptum eſt: *Impatiens operabitur ſtultitiam*. Nam quemadmodum filij, mores parentum imitantur, ita opera, quæ ex animo proficiſcuntur, & velut nova proles in lucem prodeunt, aut virtutum, aut vitiorum imagines referunt, & cum aliquid contumelia, vituperationeque dignum geſtum fuerit, conijcere facile poſſumus, illud non eſſe virtutis partum, ſed monſtrum informe, quod vitium progenuerit. Hinc patiens quidquid animo ad publicam utilitatem concepit, cum gloria ad finem perducet, perdu-

ctum

ctum à ſapientibus laudabitur, & retinebitur. Ille verò, quem impatientia docuit nihil adverſum ferre, nihil optimum ſperare, nihil ſtabile, ac firmum in operibus ſuis oſtendet, nihil laude dignum conſequetur, operis mercedem perdet ſola vituperatione retenta, quæ ſtultitiæ, ac furori debetur.

V. Triplex igitur eſt neceſſarius patientiæ modus. Primò ut modeſtè, ac maturè, & benignè ad ſingula reſpondeat, & impetum fervoris reprimat, nec in voce, aut vultu, ſeu moribus impatientiam oſtendat. Tunc enim magis proficit per patientiam, & tandem devincit, quos impetuosè agendo amplius provocaret. Hinc Prov. 15. *Reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem*. Quemadmodum enim projectorum impetus minuitur, deperditur, refrangitur, ſi levè corpus offenderit, ipſumque opponenda ſibi duritie deſtitutum invenerit; Ita experientia docet iratos homines tunc miteſcere, ac placari, cum illis, quos arrogantia, audacia, furoreque incitabant, humilitatem arrogantiæ, manſuetudinem furori opponunt. Quare Prov. 15. expreſſum eſt: *Vir iracundus provocat rixas, qui autem patiens eſt, mitigat ſuſcitatas.* Et cap. 11. *Qui conturbat domum ſuam poſſidebit ventos*. Scilicet conſpirationum, ut optimè exponit Seraphicus Doctor.

Illi indignantes magno cum murmure venti
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.

VI.

VI. Nam ſicut venti ex oppoſitis terræ cardinibus congregati, ac inter ſeſe veluti confligantes, validiſſimo turbine concitato huc, atque illuc circum acta corpora jactant, fundamenta domorum evertunt, ædificia proſternunt. Ita ſi illi, ad quos ſpectat alijs imperare, aliorum furorem præclaro exemplo manſuetudinis compeſcere, ſuperbi ſint, tumidi, atque iracundi, luctantibus inter ſe paſſionum ventis, mutuoque conſpirantibus exitialem turbinem concitabunt, ut facilè perdant quidquid labore, ac induſtria comparaverant.

VII. Secundo ſtudeat eſſe pacificus, ne vindicet ſe de illatis injurijs, ſed altè retineat, charitatis, patientiæ, & manſuetudinis præcepta, quæ expreſſa ſunt Luc. cap. 6. & ſciat officium paſtoris eſſe virtutes docere, quare ſi vitioſos impatienter removet à ſe, quos docebit? Si Medicus fugit ægrotos, quos curabit, ſi fortis tyro declinat impetentes ſe, quomodo aſſequetur triumphum gloriæ? Si negotiator negligit merces, in quibus magna lucretur, quomodo poterit ditari?

VIII. Tertio requiritur, ut ſit patiens, & ſtudioſus in ijs exequendis, quæ officij ſolicitudo requirit, nec retardetur aut tædio laboris, aut tarditate profectus. Hinc 2 Paralip. 14. legimus: *Vos ergo confortamini, & non diſſolvantur manus veſtræ, erit enim merces operi veſtro. Iſtæ manus Prælati,* inquit Seraphicus Doctor, *ſunt inſtantia in agendo, & pa-*

& patientia in ſufferendo, quod gravat, quæ ſi non diſſolvantur per deſidiam, ſeu intolerantiam merces æterna ei cumulatur. Per has namque adverſitates rector à peccatorum pulvere purgatur, quem contrahit ex humanæ infirmitatis ſubreptione. In multis enim offendimus omnes. Jacobi 3. Etiam in pluribus negocijs plures negligentiæ ſæpe fiunt, à quibus purgari neceſſe habent hic Prælati, ne illic durius patiantur juxta illud 2. Reg. 7. Si iniquè aliquid geſſerit corripiam eum in virga virorum, & in plagis Filiorum hominum.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO TERTIADECIMA

De quarta Ala, nempe de exemplo.

QUi alijs præſunt, debent bonorum operum exemplo præeſſe. Majorum ſcandala quam grave damnum afferant. D. Petri Chryſologi aurea ſententia. Scandalum Diabolum fecit ex Angelo. Princeps legibus alligatus. Majorum exempla vivendi norma. Joannis cap. 13. Judic. cap. 7. Luc. cap. 22. Prælatus debet ſubditos præcedere in communis obſervantiæ conformitate, in manſuetudinis humilitate, in maturitatis honeſtate.

I. QUalis eſſe debeat eorum vita, qui cæteris præſunt, & Seraphim ad inſtar Divino throno famulantur, multis in locis jam expoſuimus; hujus verò rei neceſſitas expoſcit, ut aliqua iterum addamus, & fideliter inſiſtamus Doctoris Seraphici Doctrinæ.

II. Ad Eccleſiaſticos Paſtores dicebat Apoſtolus Act. 20. verſ. 28. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo*, oſtendens

dens primo quanta vigilantia in eo requiratur, cui tanti Domini grex committitur, & à quo omnis laboris, curæ, & vigilantiæ ratio eſt exigenda, cujus gregis ſummum, atque infiniti valoris eſt pretium! Et quemadmodum Paſtor, cujus vocem audiunt oves, cujus veſtigia ſequuntur, ſi per devia, & aſpera gregem dirigat, ſi præcipitio exponat, ſi turbidis aquis potum, noxijs herbis cibum illi præbeat, reus damni juſtiſſimè exiſtimabitur, & Domino gregis debitas pœnas perſolvet; ita qui malo exemplo animas ſibi commiſſas in errorem inducit, qui dominium capitis in perniciem vertit, ſubditorum pereuntium debitor efficitur, & dignus eſt à quo propria ruina, atque æternis ſupplicijs aliorum caſus, & tormenta repoſcantur.

III. Timenda ſcandala ſunt, atque omni induſtria vitanda, ſed quemadmodum in humano corpore aliquæ membrorum infirmitates facilè curari poſſunt, nec membra infirma amputantur, niſi periculum adſit, ut partis vitio totum corpus conſpergatur, inficiatur, & pereat. Cum verò languet caput, cum humorem noxium in univerſas partes inſtillat, deſperata totius corporis ſalus eſt, certumque periculum vitæ, ita ſubditorum errores, & delicta, ſcandalum quidem ingerunt, nocent, & aliquando bonorum animos affligunt, & fauciant, ſed tollerantur, quia medentur, & membra invicem in ſui remedium conſpirant; at verò ſi Doctor

erraverit, à quo emendabitur? Si errorum peſte infectum fuerit caput, quo ei remedio membra ſuccurrent? *Si oculus tuus*, inquit Chriſtus, *ſcandalizat te, erue eum*, ſic de manu, ac pede errantibus conſilium Divinum præbet, ſed non ait; ſi caput tuum ſcandalizat te &c. oſtendens videlicet vitiati capitis nullum eſſe remedium, & eos, qui officia capitis aſſumunt ſe æterno periculo exponere, ſi peccatorum tabo inficiantur, & malo exemplo ſubiecta ſibi membra veluti exitiali peſte contaminent. *Cavere ergo oportet*, ſunt verba D. Petri Chryſologi ſerm. 27. *ne ſcandalum faciamus alijs, ne vel ipſi alio faciente patiamur. Scandalum eſt, quod offendit ſenſus, quod mentem turbat, quod offendit intelligentiæ puritatem. Scandalum eſt, quod Diabolum fecit ex Angelo, quod ex Apoſtolo reddidit proditorem, quod invexit peccatum Mundo, quod hominem deduxit ad mortem.*

IV. Quod ſi ſcandalum eſt, quod Diabolum fecit ex Angelo, ſumma ope niti decet eos qui præſunt, & qui Seraphim Divino throno aſſiſtentes æmulantur, ne malo exemplo trahant in tartara commiſſas ſibi animas, & æternæ lucis ſplendore privati in ſempiternas tenebras detrudantur. Qui exemplo non docent, quod jubent, ſumma injuria Cœleſtis doctrinæ veritatem afficiunt; & cum in animis hominum majorem vim habeant exempla, quam verba, malo exemplo vitiorum patrocinium

ſuſci-

ſuſcipiunt, & quos imperio retrahere volunt à culpa, malis operibus impellunt ad peccandum. Hinc optimo jure Theodoſius, & Valentinianus Cæſares conſcripſerunt leg. digna vox Cod. de legibus. *Digna vox eſt majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe principem profiteri.*

V. Quarta ergo Prælatorum ala, ut ſcribit D. Bonaventura eſt exemplaris eorum vita. Hoc colligit ex act. Apoſt. cap. 1. ubi legimus, *quod cœpit Jeſus facere, & docere*. Divinus ille Magiſter, & Pontifex futurorum bonorum præclaris operibus auctoritatem ſibi conciliabat, & ut altius in diſcipulorum cordibus ea, quæ docebat infigerentur, ab ægregijs factis doctrinam auſpicabatur. Quod quidem ſanctum, ac venerabile documentum ab omnibus debet Paſtoribus fideliter retineri. Indignum enim eſt viro ad aliorum exemplum, atque inſtructionem deputato, ut doceat, moneat, præcipiat, & quidquid eſt laude dignum prius ab alijs adimpleatur. Quidquid juvat ampla hujus nominis gloria, & eminentia capitis, ſi capitis officia deſiderentur, & membra, quæ inferiora ſunt, & ſubiecta, motu, & actibus ſuis omnes capitis influxus præcurrant?

VI. Hinc Chriſtus Dominus Supremus animarum Paſtor, & Rector poſtquam præclara ſuarum virtutum exempla reliquerat, & per manſuetudinem, humilitatem, vigilantiam, modeſtiam, am-

plam quamdam hominibus viam ad Cœleſtem patriam aperuerat, ſtatim diſcipulos admonuit, ut teſtatur Joannes cap. 13., ut videlicet relictis ſibi veſtigijs ſanctitatis inſiſterent, ſemperque firmiter adhærerent. *Exemplum*, inquit, *dedi vobis*, *ut quemadmodum ego feci*, *ita & vos faciatis*. Sciebat enim, quam validum, quam efficax ſit Magiſtri, ac ducis exemplum, ut homines regantur, atque ad virtutem contendant. Sic fortiſſimus Judaici populi dux Gedeon, cum exercitum adverſus barbaras nationes comparaſſet, & paucos Deo monente elegiſſet, in partem laboris, in conſortium triumphi, ſocios ſuos hortatus eſt, ut eum in tam difficili, tamque arduo certamine imitarentur; dixit enim Jud. cap. 7. *Quod me facere videtis*, *hoc facite*.

VII. Quamvis autem in omnibus virtutibus Eccleſiaſticus ſuos debeat ſubditos præcedere, ſpecialiter tamen in tribus, ut docet Seraphicus Doctor. Nempè in communis obſervantiæ conformitate, in manſuetudinis humilitate, in maturitatis honeſtate. Unde Apoſtolus ad Tit.2. *In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum.* Et 1.Corinth. cap.9. verſ. 22. *Omnibus omnia factus ſum*, *ut omnes facerem ſalvos*.

VIII. Sit humilis in moribus,ut mores ejus oſtendant, cum non alta de ſe ſentire, nec affectare prælationem. Unde Luc. 22. ad diſcipulos ſuos, quorum exemplò cæteros volebat inſtruere, atque erudire,

dire, dixit Chriſtus Dominus. *Qui major eſt in vobis fiat ſicut minor*. Sit etiam humilis affabilitate, ut ſubditi facilem acceſſum ad eum habeant. Sic Divinus Paſtor, qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis omnes humilitate, ac manſuetudine invitabat, & ajebat: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*. Quibus verbis hortabatur ad ferendum jugum dulciſſimum ſuave, & leve, quod appellabat ſuum, non quia leve, ac dulce à Phariſæis, hoſtibuſque ſuis ei fuerit impoſitum, ſed grave, & ad mortem crudeliſſimam ducens, leve tamen, & ſuave nobis, quia ſuum, leve ac ſuave, quia prægustato prius doloris calice amariſſimo, omnem ab eo amaritudinem abſtulit, ut guſtari a nobis poſſet: *humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis*. Mortem nobis debitam pertulit, & exemplo ſuo docuit quam jucundum ſit ſub tanto capite pati, ſub tanto rege humiliari, qui propter nos e Cœleſti deſcendens faſtigio, *nec rapinam arbitratus eſſe ſe æqualem Deo, exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*.

IX. Maturitatis honeſtas perpenditur in tribus, ſcilicet ſi non ſit levis in moribus. Nam Gregor. hom. 3. in Ezechiel. ante medium inquit: *Non facilè eius prædicatio recipitur, ſi levis in moribus vide-*

detur. Ipſe amor aliquando ſuavior ſentitur cum reverentia mixtus. Pſal 24. *dulcis, & rectus Dominus &c.* Item ſi non ſit levis in affectu per privatos amores, licet enim meliores in affectu præferendi ſint minoribus, & omnes propter ſpem ſalutis in Chriſto amplectendi ſint, in actu tamen exterioris exhibitionis, taliter ſe gerat erga omnes, ut nullus ſe ab eo contemni propter alios ſuſpicetur, ſed quilibet ſe ab eo diligi præſumat, & fiducialiter ei quaſi ſingulari amico confidat. Legatur Geneſis caput 37., in quo refertur, quod *videntes fratres Joſeph, quod à Patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.*

X. Inſuper non ſit levis in propoſito, nec incoſtans in conſilio. Unde Apoſtolus ad Teſſal. 1. cap. 5. verſ. 21. inquit. *Omnia autem probate: quod bonum eſt tenete*. Obſtinatio tamen fugienda eſt, quoties neceſſitas mutationem exigat: Sic Eſther cap. 16. verſ. 9. ſcriptum eſt: *Nec putare debetis ſi diverſa jubeamus ex animi noſtri venire levitate, ſed pro qualitate, & neceſſitate temporum, ut Reipublicæ poſcit utilitas ferre ſententiam.*

DIS-

DISSERTATIO QUARTADECIMA

De Quinta Ala, nempe de diſcretione.

LOcus Pſalmi 118. *exponitur*, *&* *verſ.* 5. *cap.* 3. *lib.* 3. *Regum. Duplex circumſpectio neceſſaria illis, qui præſunt. Explicatur* Exod. *cap.* 28. *juxta doctrinam Seraphici Doctoris. Quatuor ſunt, in quibus decet Rectorem eſſe circumſpectum, nempè quomodo in ſtatu debito commiſſos ſibi gubernet, Quomodo lapſos, & errantes corrigat, quomodo diſponat negocia exteriora, quomodo ſe in his cuſtodiat, & gerat.*

I. INter virtutes, quæ Paſtorum animos debent ornare, & quibus veluti alii ad Divinum ſolium efferuntur non infimum locum tenet Diſcretio, quam Seraphicus Doctor commendat, & quam Regius Paſtor à Domino poſtulabat canens pſal. 118. *Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me*. Quæ verba explanans D. Ambroſius. *Qui petit*, inquit, *doceri bonitatem, & diſciplinam, debet petere etiam ſcientiam doceri, niſi enim habeat, & caſtigatio ſcientiam, moleſta eſt diſciplina, moleſta correptio*. Hanc diſcreptionis neceſſitatem experiri

ri eos etiam, quibus ſumma, ampla, & plena in populos poteſtas eſt, cognovit Salomon, cui, ut narratur 3. Reg. cap. 3. verſ. 5. cum Dominus apparuiſſet, & dixiſſet ei *poſtula quod vis, ut dem tibi*. Eidem Domino omnia benignè exhibenti reſpondit, ut expreſſum eſt verſ. 9. *Dabis ergò ſervo tuo cor docile, ut populum tuum judicare poſſit, & diſcernere inter bonum, & malum*. O dignam tanto Rege reſponſionem, & quæ altè in eorum cordibus retineatur, quibus aliorum animæ ſunt commiſſæ! Si enim provida diſcretio, & circumſpectio, navis rectori omninò neceſſaria eſt, eo quod, aut ventorum impetus declinandi, aut fugiendi ſcopuli, aut maris infidi pericula ſubeunda. Quanto magis hæc erit neceſſaria circumſpectio ei qui non ad portum navem aliquam, ſed ad Cœlum animas inter tot hoſtes, inter tot diſcrimina, ac certamina debet dirigere? Hinc jure merito Optimus Rex; & Paſtor David, omnibus regnantibus hoc conſilium præbebat Pſal. 2. *Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram*.

II. Duplicem circumſpectionem eſſe neceſſariam ijs, qui præſunt, diſertiſſimè ſuadet Seraphicus Doctor, nempè ut ſciat quid agendum ſit, & qualiter, *nam nec bonum ſimpliciter bonum eſt, niſi benè fiat, ideſt ſicut decet*. Hinc Bernard. in Cant. ſerm. 49. circa medium. *Tolle diſcretionem, & virtus vitium erit, ſine ipſa zelus præcipitat, teſte*

Apoſt.

Apoſt. ad Rom. 10., *qui ait, æmulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam*. Et cap. 12. ſuadet, ut ſit *rationabile obſequium*.

III. Quamvis autem plurima ſint, circa quæ oportet rectorem eſſe circumſpectum, tamen quatuor videntur præcipua, in quibus debet eis providentia vigilare, unde Exod. 28. jubetur Pontifex ingrediens Sanctuarium, ut miniſtret Domino, inter alia ornamenta ſemper in pectore rationale judicium deferre, & in ipſo quatuor ordines gemmarum, ita quod quilibet ordo tres lapides contineat pretioſos auro incluſos. Nullum enim Deo gratiùs ſacrificium, quam zelus animarum, qui inter alia virtutum inſignia ſemper debet rationis judicio quatuor ad officium ſuum ſpectantia in pectore verſare. Primum eſt quomodo in ſtatu debito commiſſos ſibi gubernet. Secundum, quomodo lapſos, & devios corrigat. Tertium exteriora negotia quæ requiruntur ab eo congruè diſponat. Quartum quomodo ſe in his cuſtodiat, & gerat.

IV. Ad ſtatum debitum tenendum convenit, ut Rector omnium ſubditorum mores, conſcientias, & vires perſpicuè agnoſcat. Nam qui infirmi, ac puſillanimes ſunt, onera etiam leviſſima reformidant, eaque gravia exiſtimant, atque adeò ſumma prudentia opus eſt, ut paulatim ad illa ferenda excitentur, ut timorem deponant, ut aſſueſcant, ne conquerantur, ut olim dixerunt Tribus Roboamo

ſibi graviſſimum jugum fuiſſe impoſitum.

V. In hoc autem tria ſunt obſervanda. Primum ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, ut charitas erga Deum, & proximum, quam quidem charitatem perpetuò ſibi ſervandam propoſuerat Gentium Doctor ad Rom. cap. 8. dicens: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti*; Bonorum etiam operum exercitium, & puſillorum ædificatio, de qua Matth. cap. 18.

VI. Secundum verſatur circa illa, quæ ſpectant ad exercitium altioris perfectionis, quam quidem viam, qui aggrediuntur debent tanquam fortiſſimi milites acerrimè pugnare cum voluptatibus, & ab omnibus ſe cupiditatibus terrenis exuere, ne ipſis veluti pondere gravati facilè corruant, & ab adverſario proſternantur. Hinc Apoſtolus ad Corinth. ſcribens cap. 9. ut ſuadeat quo ſtudio, qua diligentia debeant homines meliorem ſui partem, animum ſcilicet cuſtodire, qua induſtria cum adverſarijs noſtræ veræ felicitatis confligari, Athletarum exemplum proponit: *Omnis enim qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet*, quaſi dicat: Cernite quibus laboribus ad corruptibilem coronam fortes Athletæ præparentur, illi non in comeſſationibus, & crapula, non in ſomno, & pigritia, non in veſtimentorum pompa, ſed in abſtinentia, vigilijs, & nuditate adverſarios provocant, populorum ſpectaculum fiunt, laudem conſequuntur, & præmium. Qua-

Digitized by Google

Quales ergo oportet eſſe eos, qui incorruptibilem coronam ſperant, & qui ad feliciſſimum virtutis faſtigium cupiunt pervenire? Indurandus igitur animus eſt, & paulatim à voluptatibus etiam licitis diſtrahendus, ut alacres, fortes, omnibuſque impedimentis ſoluti noſtræ gloriæ æmulatores ſuperemus.

VII. Tertium conſiſtit in illis, quæ nec ſunt de pura neceſſitate ſalutis, nec de eminentia perfectionis, ſed tamen ad utriuſque acquiſitionem, & conſervationem aptè ſtatuta ſunt, ut jejunium, ſilentium officiorum ſolemnitas, & exteriores corporalium exercitationum honeſtates. In hoc indiget Prælatus non modica diſcretione, ut ſciat inter rigorem, & remiſſionem medium tenere.

VIII. Circa lapſorum correptionem diſcretio Prælati ſimiliter vigere debet. Hic eſt ordo ſecundus tres gemmas continens, quia triplex continentia ad hoc eſt neceſſaria, ſicut ſunt tria genera delinquentium. Primum eſt eorum, qui cum delinquunt, ſtatim ut corriguntur ad pœnitentiæ remedium confugiunt. His cum clementiæ fomentis Medicus ſpiritualis remedia ſatisfactionis ſic temperatè debet adhibere, ut ſatisfaciant Deo de offenſis, & proximo de ſcandalis, unde Apoſtolus cap. 6. ad Galatas ſcribens hoc Chriſtianæ pietatis documentum reliquit. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.*

IX. Alij cum delinquunt, delictum abſcondunt, defendunt, & vulnus interius latet, & qui externum remedium vult adhibere, magis videtur vitiorum diffamator, quam vitiorum correptor, & vulnus quod ſanare cupit exaſperat. Cum ergo aliud congruè facere non poſſit, portet, diſſimulet, patientiam ſuam exerceat, & quod arguendo non valet, orando laboret obtinere. Sic Matth. 26. Judam proditorem tacitè toleravit Chriſtus, nec oſtendit, niſi cum evidens erat aliorum periculum. Sic Apocalipſ. ult. Joannes ſcribit: *qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc*, non quod ad peccandum impunitas concedatur, ſed quod tempus interponitur, aut ad emendationem, aut ad ſupplicium eorum, quos aut corrigere, aut emendare non poſſumus, cum delicta aut prorſus occulta ſunt, aut non plenè manifeſta. Videatur etiam parabola de zizania expreſſa Matth. cap. 13. & diligenter conſiderentur Chriſti Domini verba *ſinite utraque creſcere*.

X. Alij ſunt, qui graviter, & apertè offendunt, nec recipiunt debitam correptionem, vel fictè recipiunt, nec emendantur; ubicumque ergo quatuor illa conveniunt, ſcilicet, graviter peccare, apertè peccare, & non eſſe ſpem correptionis, & alios inſici, per ejus exemplum debet abijci ovis morbida. Sic Apoſtolus ad Galat. cap. 5. ſcribit: *utinam abſcindantur qui vos conturbant*. Et 1. ad Corinth. cap. 5. *auferte malum ex vobis metipſis*. Luc. 13.

Suc-

Succide arborem. Matth. 3. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*. Sic Num. cap. 5. præcepit Deus, ut leproſi extra Caſtra eijcerentur, omneſque polluti, ne videlicet eorum conſortio cæteri polluerentur, atque inficerentur.

XI. Circa verò negotia diſponenda, alia ſunt quæ poſſint inferioribus committi, alia quæ perſonam Prælati exigant, & alia, quæ utpotè ſuperflua reſcindi poſſint. Sic Exodi 18. Cum à mane, uſq; ad veſperam detineretur à Populo Moyſes, ut interrogantibus reſponderet, cum hoc animadvertiſſet cognatus ejus Jetro dixit ei verſ. 18. & ſeqq. *Stulto labore conſumeris, & tu, & populus iſte, qui tecum eſt: ultra vires tuas eſt negotium, ſolus illud non poteris ſuſtinere, ſed audi verba mea, atque conſilia, & erit Deus tecum. Eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad Deum, oſtendaſq; populo cæremonias, & ritum colendi, viamq; per quam ingredi debeant, & opus, quod facere debeant, provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam, & conſtitues eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicent populum omni tempore: Quidquid autem majus fuerit referant ad te. Et ipſi minora tantummodo judicent: leviuſq; ſit tibi partito in alios onere.* Ex quibus verbis nobis clarè innoteſcit debere Prælatum per ſe ipſum exercere ea, quæ

ſpi-

ſpiritualia ſunt, & quæ ad Deum ducunt, temporalia verò poſſe alteri committere. Debere etiam ſuperflua reſcindere, ſicut enim humores noxij affluunt, ubi fuerit in corpore læſio, niſi cautè removeantur, ne fiat ibi tumor, vel ulcus, ita & negotia creſcunt ad extinctionem ſpiritus, qui ſe eis acquieverit occupari. Unde Eccl. 11. *Fili ne in multis ſint actus tui*.

XII. Circumſpectio etiam neceſſaria eſt illis, qui præſunt, ut ſciant quomodo ſe gerere debeant. Quod quidem munus promptè, ac feliciter exequentur, ſi in excolendo animo omnem adhibeant curam, ut videlicet mundam, ſerenam, atque tranquillam conſcientiam habeant, ut animi ſui ſeveri judices fiant. Unde Apoſtolus 1. Corinth. cap. 11. *Si nos metipſos judicaremus, non utique dejudicaremur*. Circumſpectio etiam circa exteriores actus requiritur, ne qui imperat videatur affectare potentiam, amare ſeveritatem, & odio habere gregem ſibi commiſſum. Hinc inter cætera negligentibus Paſtoribus per Ezechielem exprobravit Deus cap. 34. verſ. 5. *Cum auſteritate imperabitis eis, & cum potentia*. Legantur etiam utilia documenta expreſſa Eccleſiaſtici cap. 4.

XIII. Inter cætera autem, multa in circumſpectione, circumſpectio eſt adhibenda, ne qui imperat ſapiens ſit in oculis ſuis nam Greg. lib. 25. Moralium cap. 14. inquit. *Sicut ſubditorum tentatio eſt re-*

reprehendere in Prælatis quod in multis non rectè agant, ita Prælatorum tentatio eſt, quod ſe cæteris ſapientiores æſtimant. Videatur Eccleſ. cap. 26. pſ. inſuper 9. *Sedet in inſidijs cum divitibus &c.* Ibi enim libentius inſidiatur, ubi majores meritorum divitias cernit inquiri, ut ibi innocentem inquirat, & occidat, ubi ſe Deo magis obſequium præſtare ſperabat. Non debet ergo ſibi complacere, ſed cum conſilio operari, ut Eccl. 32. Caveat etiam adulantium conſilium, quia iſti inducunt ad præſumptionem. Iſaiæ 3. v. 12. *Qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.* Caveat etiam à conſilio detractorum, qui ad injuſtitiam inducunt; ut probata multorum ſæculorum experientia docet, & legere poſſumus Eſther c. 16.

DIS-

DISSERTATIO QUINTADECIMA

De ſexta Ala, nempe de devotione.

SIne devotione areſcit terra cordis noſtri. Triplex devotio ex D. Bonaventura aſſignatur. Divina Officia ob multas cauſas Spiritus Sanctus ordinavit. Aurea D. Auguſtini expoſitio in pſ. 83. & in pſ. 64. Homines Deum laudantes imitantur Angelos, imò Deum ipſum. Authoritas Hilarij lib. 3. de Trinitate ad hoc confirmandum adducitur, quæ etiam nititur Sacræ Scripturæ teſtimonijs. Quamvis Prælatus exterioribus curis detineatur, debet tamen ſpeciali devotioni intendere.

I. CUm ſex ab Iſaja Propheta Seraphinorum alæ, eorumque officia commemorentur, duas ad volandum, cæteras verò ad tegendum aſſumptas eſſe conſtat. Quatuor enim velabant, & duabus volabant. Quia verò diſcretio, & devotio, ultimæ inter myſticas alas à Seraphico Doctore ponuntur, meritò affirmare poſſumus eorum miniſterio volare Eccleſiaſticos Paſtores, atque in altum efferri, nam circumſpectione ſe à negotijs ſæcularibus expediunt, & à moleſtiſſimis curis, quæ animum ve-

vexant, & diſtrahunt, & in ijs tantum occupantur, quæ ad Deum ducunt, & quæ ad ſalutem animarum pertinent. Prompti autem, & expediti, per devotionem, nempe per piam voluntatis affectionem ad Deum elevantur. Hæc devotio myſtica aqua eſt, qua deficiente areſcit terra cordis, ad quod fortaſſe alludit Propheta pſal. 124. cum ait: *anima mea ſicut terra ſine aqua tibi*. Hæc devotio velut imber ſupernè infuſus omnes virtutum plantas irrigat, ut producant fructum in tempore ſuo.

II. Hæc devotio; ut inquit D. Bonaventura, eſt *unctio ſpiritus docens de omnibus, quæ expediunt*. Joannis pr. cap. 2. Hæc mentem illuminat ad melius cognoſcendum. Joann. 14. Inflammat ad appetendum. Eccl. 24. Roborat ad perficiendum ad Philip. 2. Facit horrere peccata Pſal. 118. Actiones ordinat, & virtutes. Cant. 1. Mores exterius componit; Tobiæ 3. ſpem, & fiduciam erigit ad Rom. 8. Amorem Dei accendit ad Rom. 5. Dat fiduciam impetrandi. Joannis 1. cap. 3. Pium, & affectuoſum facit Sapient. 7.

III. Triplex autem eſt devotio, videlicet communis, ſpecialis, & aſſidua. Communis in divinis officijs, ſpecialis in orationibus; Aſſidua in omnibus rebus agendis verſatur. Officia Divina ob quinque cauſas Spiritus Sanctus ordinavit. 1. Propter imitationem Cœleſtis concentus, poſtquam enim nos ſuo prætioſo ſanguine redemit Chriſtus,

& fecit nos Deo noſtro regnum jam non ſumus hoſpites, & advenæ, ſed Cives Sanctorum, & domeſtici Dei, & noſtra converſatio debet eſſe in Cœlis, quia hìc non habemus manentem Civitatem, ſed futuram inquirimus, ad quam pertinemus. Ergo quemadmodum beatiſſimi illi ſpiritus ſemper Deum laudant, & qui Divino throno aſſiſtunt, alternis vocibus æternam majeſtatem celebrare non deſinunt, ita & nos jucundiſſimi illius cantus æmulatores, in perpetui obſequij pignus ſinceras laudes Deo tribuere debemus; Qui magnus eſt, & laudabilis nimis. Deficient quidem nobis dies, ſed numquam deficit materia laudis. Eritque dulce omnium laborum, ac miſeriarum ſolatium, ſi in divinis laudibus exerceamur, & præoccupemus faciem Domini in confeſſione, & in pſalmis jubilemus ei; *Beati*, dicebat Regius Pſaltes pſal. 83. *qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te*. Quæ verba exponens Auguſtinus ait. *Hoc erit totum negotium noſtrum ſine defectu alleluja. Non vobis fratres videatur quaſi faſtidium ibi futurum, quia ſi modo hoc diu dicatis non duratis: ab illo gaudio neceſſitas vos avertit. Ecce quantum nos delectat quod non videtur. Et ſi tanta alacritate in ipſa preſſura, & fragilitate carnis laudamus quod credimus, quomodo laudabimus quod videbimus?*

IV. Sed fuſius, & expreſſius inſtruit nos idem Auguſtinus, quomodo debeamus Cœleſtium cantum

tum

tum æmulari, nam tractatu in pſal. 64. exponens illa verba *te decet hymnus Deus in Sion* ſic ait: *Duas civitates faciunt duo amores; Hieruſalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor ſæculi. Interroget ergo ſe quiſque quid amet, & inveniet unde ſit civis: etſi ſe invenerit civem Babyloniæ extirpet cupiditatem, plantet charitatem, ſi autem ſe invenerit civem Hieruſalem, toleret captivitatem, ſperet libertatem. Jam audiamus, & cantemus, & deſideremus Hieruſalem, unde cives ſumus. Et quæ gaudia cantantur nobis? Quomodo in nobis reformatur amor civitatis noſtræ, quam diuturna peregrinatione obliti fueramus? Miſit inde ad nos Epiſtolas Pater noſter, miniſtravit nobis Scripturas Deus, quibus epiſtolis fieret in nobis redeundi deſiderium: Quia peregrinationem noſtram diligendo ad hoſtes faciem poſueramus, & dorſum ad Patriam. Quid ergo hic cantatur? Te decet hymnus Deus in Sion. Patria illa eſt Sion, ipſa eſt Hieruſalem, quæ Sion, & hujus nominis interpretationem noſſe debetis. Sicut Hieruſalem interpretatur viſio pacis, ita Sion ſpeculatio, ideſt viſio, & contemplatio. Neſcio quod magnum ſpectaculum nobis promittitur, & hoc ipſe Deus eſt qui condidit civitatem. Pulchra, & decora civitas, pulchriorem habet conditorem. Te decet hymnus Deus, inquit, ſed ubi? In Sion. Etenim quiſque cum cœperit innovari, jam corde in Hieruſalem cantat, dicente Apoſtolo, converſatio noſtra in Cœlis eſt. In carne enim ambulantes,*

lantes, inquit, non ſecundum carnem militamus. Jam deſiderio ibi ſumus. Jam ſpem in illam terram, quaſi anchoram præmiſimus, ne in iſto mari turbati naufragaremus. Et paulò infra. *Qui ergo ſecundum hanc ſpem cantat, ibi cantat; ergo dicat: Te decet hymnus Deus in Sion. In Sion non in Babylone. Sed modo ibi es. Adhuc in Babylone es. Ibi, inquit ſum; ibi ſum carne, non corde. Unde canto non ibi: non enim carne canto, ſed corde. Carnem quidem ſonantem audiunt & Cives Babyloniæ, cordis autem ſonum audit Conditor Hieruſalem*.

V. Præclare etiam Chryſoſtomus hom. de verbis Iſaiæ. *In Cœlis*, ait, *exercitus Angelorum Deum celebrant; In terris, hominum chori eaſdem Divinas laudes imitantur. In Cœlis Seraphim hymnum ter ſanctum exclamant; In terra hominum cœtus eumdem modulantur. Cœleſtium verò, & terrenorum communis quædam Panegyris, admirabili concentu conſtituitur, una gratiarum actio, unum gaudium, unus lætitiæ chorus, atque concentus*.

VI. Neque Angelos tantum, ac Cœleſtes Cives imitamur Deum laudantes, ſed Deum ipſum. Deum inquam, qui in auguſtiſſima illa ſolitudine antequam quidquam faceret à principio ſe ſolo glorioſiſſimè beatus ſe ipſum jugiter collaudabat. Omnem ſuperat creatarum mentium intelligentiam dulciſſima illa, & conſonantiſſima harmonia, qua ſe mutuò laudant in ſimpliciſſima unitate tres diſtinctæ Perſonæ.

Digitized by Google

næ. Pater à nullo genitus, principium ſine principio: Filius Verbum Patris paternæ gloriæ ſplendor, omnium intelligibilium expreſſio. Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedens, utriuſque nexus, & amor, fons pacis, & bonitatis. *Deus nimirum ſe digeſſit in Deum*, ut ait S. Zeno ſerm. 1. de Geneſi, *& ſuo manente integro ſtatu totum ſe Pater reciprocavit in Filium: atque alter in altero exultat cum Spiritus Sancti plenitudine una originali coæternitate renitens. In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater. Unus in altero eſt, numerum tamen ſine numero omnes conſervant. Pater Filio ſemper interior, ſemperque manet exterior, ut loquitur* Hilar. lib. 3. de Trinitate, *& excedens quidquid humano ſenſu concipi poteſt, ex ſe Filium genuit non ex aliqua ſubiacente materia, quia per Filium omnia: non ex nihilo, quia ex ſe Filium: non ut partem ſui, quia in ipſo eſt omnis plenitudo Divinitatis. Laudat autem Filium Pater, quia Deus ex Deo eſt: Laudat Patrem Filius, quia ipſe eſt Verbum Patris, quo ille dicit omnia. Laudat Spiritum Sanctum Pater, laudat Filius, nam ex Patre, Filioque procedens utriuſque amor, & nexus eſt. Laudat Spiritus Sanctus Patrem, & Filium, qui cum Patre, & Filio in ſumma, & incredibili regnat unitate.*

VII. Quantum ergo debent homines in Divinis laudibus exerceri. Si, ut Auguſtinus inquit, Præfat. in pſal. 144. *Ut benè ab homine laudetur Deus,*

lau-

laudavit ſe ipſe Deus, & quia dignatus eſt laudare ſe, ideò invenit homo quemadmodum laudet eum. Gregor. etiam lib. 19. Moralium cap. 7. *Deus itaque, qui nos prohibet, ne proprio ore laudemur, per Scripturam Sacram laudes ſuas loquitur, ut valeamus eum audientes cognoſcere, cognoſcentes amare, amantes ſequi, ſequentes adipiſci, adipiſcentes verò ejus viſione perfrui.* Unde Pſalmiſta ait pſal. 101. *Virtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo, ut det illis hæreditatem gentium.* Plato denique in Protagora maximum eſſe cenſet noſtræ divinitatis indicium, quod ſoli nos in terris, tamquam ſortis Divinæ participes Deum cognoſcimus, & invocamus, cultuque religioſo tamquam ſupremum numen colimus, & veneramur.

VIII. Sed ut revertamur ad cauſas inſtitutionis Divinorum officiorum. Secunda eſt, ut Divina beneficia recogitemus, & illorum memores, ſtatutis temporibus gratias Deo perſolvamus. Sic Iſaias cap. 63. verſ. 7. *Miſerationum Domini recordabor laudem Domini ſuper omnibus, quæ reddidit nobis Dominus.* Et David pſal. 102. *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt nomini ſancto ejus, benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus.*

IX. Tertia cauſa eſt, ut nos metipſos ad devotionem ſemper excitemus. Illius rei figuram habemus Levitici cap. 6. verſ. 12. & 13. ubi hæc juſſit

Deus.

Deus. *Ignis autem in altari ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos ſubijciens ligna manè per ſingulos dies, & impoſito holocauſto deſuper adolebit adipes pacificorum. Ignis eſt iſte perpetuus, qui numquam deficiet in altari*. Si myſticum templum eſt anima noſtra, ſi, ut inquit Origenes in libros Num. illa habet in ſe defixum altare, in quo holocauſta, & victimas Deo offerat. Hoc unum præ cæteris curare debet, ut devotionis ardor numquam tepeſcat, ut internorum affectuum ignis ſemper vivus conſervetur.

X. Quarta cauſa eſt, ut qui neſciunt orare, ſaltem ad Eccleſiam certis horis conveniant, ut exemplo aliorum exercitia pietatis addiſcant, & ad devotionem excitentur. Sic Luc. cap. 1. verſ. 10. legimus quod omnis multitudo populi erat orans foris hora incenſi.

XI. Quinta ob decorem Religionis Chriſtianæ, ſi enim Judæi, & Gentiles ſimul ad orandum conveniebant, & Templa, ac Sinagogas habebant, ut ibi actus religionis exercerent, ut alibi de ſacrificijs agentes, ac de Templis explicavimus, multo magis ipſi Chriſtiani, qui verum Deum colunt, ac melioris teſtamenti mediatorem, quod melioribus promiſſionibus ſancitum eſt.

XII. Specialis devotio in privatis orationibus conſiſtit, quarum modum Divinus magiſter noſter præſcripſit. Matth. cap. 6. verſ. 5. & 6. *Et cum oratis non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in Sinagogis,*

gogis, & in angulis platearum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus: amen dico vobis receperunt mercedem ſuam. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum, in abſcondito, & Pater tuus qui videt in abſcondito reddet tibi. Conſiſtit etiam in ſacris meditationibus, ut pſal. 76. verſ. 6. *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui, & meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.*

XIII. Quamvis autem Prælatus domeſticis curis detineatur, debet tamen ſpeciali devotioni intendere. Exemplo Chriſti Domini, qui ut narratur Lucæ cap. 6. verſ. 12. *Erat pernoctans in oratione Dei.* Debet etiam Deum ſibi ante oculos proponere. Unde pſ. 15. ajebat Propheta. *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper.* Et pſal. 24. *Oculi mei ſemper ad Dominum.* Hinc Bernardus lib. meditat. cap. 6. poſt medium ait: *Omne tempus, quo de Deo non cogitas puta te perdidiſſe.* Debet denique habere continuum ſtudium placendi Deo. Sicut ſcribebat Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 5. verſ 9. *Et ideò contendimus ſive abſentes, ſive præſentes placere illi.* Et omnia agenda oratione prævenire, ut de Joſaphat narratur 2. Paralip. cap. 20. Exemplo quoque Davidis Regis pijſſimi, qui in omnibus Deo placere cupiens oculos mentis in Cœlum elevabat, canit enim pſal. 122. *Ecce ſicut oculi ſervorum in ma-*

manibus Dominorum ſuorum, & ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri. Si haſce myſticas alas aſſumpſerint illi, quibus animarum cura eſt commiſſa, ſicut in terris Angelorum officia imitantur, volabunt tandem in altum ad Dei viventis, atque altiſſimi ſui Domini conſpectum & numquam deficient.

Digitized by Google

DISSERTATIO
SEXTADECIMA

Et clamabant alter ad alterum Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

TRiſagium à Propheta enunciatum Myſterium indicat Trinitatis. Hebræorum reſponſiones impugnantur. Rabinorum teſtimonijs oſtenditur, nomen Sanctus *trina ſua repetitione ad Divinas peoſonas referri. Tres Mundi juxta Hebræorum doctrinam, Corporeus, Intellectualis, & Deitatis eosdem Hebræos negantes Trinitatis Myſterium convincunt. Lex æterna fons totius ſanctitatis. Hac conditum Mundum ſacræ literæ docent. Hæc & Verbum Domini, & ſapientia, & ſpiritus oris ejus appellatur validiſſima argumenta ex Job cap. 28. ad propugnandum Myſterium Trinitatis adducuntur. Quænam fuerint tres ſupremæ Sephiræ apud Hebræos antiquos, & quantum ipſarum explicatio recentiores Myſterium Trinitatis negantes redarguat. Quare in ſacris literis veteris Teſtamenti non fuerit clarè explicatum hoc Myſterium.*

I. CUm Eccleſia militans à triumphante edocta Deo exercituum moduletur, cui ut loquitur Tertullianus lib. de orat. illa Angelorum circumſtantia non ceſſat dicere Sanctus Sanctus Sanctus. Nos qui frequenti Divini Triſagij repetitione Cœ-

leſtes

leſtes ſpiritus æmulamur, Myſterium quod in eo continetur, nempe ineffabile Sanctiſſimæ Trinitatis arcanum neceſſe eſt, ut veneremur. Joannes in Apocalypſi cap. 4. quatuor nobis myſtica animalia plena oculis deſcribit requiem non habentia, & dicentia die ac nocte. *Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Omnipotens, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt.* Unde Ambroſius lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 18. ait: *Cherubim, & Seraphim indefeſſis vocibus laudant, & dicunt Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Non ſemel dicunt, ne ſingularitatem credas, non bis dicunt, ut ſpiritum excludas, non ſanctos dicunt ne pluralitatem exiſtimes: ſed ter repetunt, & idem dicunt, ut etiam in hymno diſtinctionem Trinitatis, & Divinitatis intelligas unitatem. Hæc cum dicunt, Deum prædicant.*

II. Sufficerent homini Chriſtiano hæc & alia quamplura teſtimonia, quæ ex veteri Teſtamento deſumi poſſunt, ut Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterium, quod in eis proponitur, ea qua decet animi docilitate, atque humilitate veneraretur. Verum Judæi, qui literam occidentem ſequuntur, vivificantem ſpiritum repellunt, quidquid pro hujus myſterij veritate à nobis adducitur, omninò negant, & vaticinia Prophetarum in alienos ſenſus detorquent. Dicunt enim nullum in Divino Triſagio adeſſe Myſterium, ſed Prophetam Iſajam voluiſſe nobis indicare, quod viciſſim unus Angelus alterum

appellaret Sanctum, & hoc nomine ſibi mutuò reſponderent. Sed nemo eſt tam cœcus, qui non videat, quam aliena ſit à mente Prophetæ, à ſenſu Scripturæ, à doctrina veterum Hebræorum hæc expoſitio. Introducit enim Iſajas Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum, & ſuper ejus Thorum Seraphinos ſtantes. Præſentes igitur erant Divinæ Majeſtati, quæ totum terrarum orbem replebat, & occupabat, atque adeò agit Propheta de Deo, qui in ſua apparuerit majeſtate, ut unicuique prophetiam legenti patebit. Qualem autem honorem tribuiſſent Seraphim Domino ſuo in throno ſedenti, ſi unus alterum, Sanctum appellaſſet, & laudem Domino debitam ad ſocium tranſtuliſſet? Quem honorem Regi præſenti exhiberent ſubditi, ſi poſthabita Majeſtatis reverentia, unus in altero maximis laudibus efferendo ſe ſe occupaſſet, præcipuè ſi laus viciſſim exhibita, tota regi deberetur? Deum propriè Sanctum eſſe, creaturas verò per participationem ſanctitatis ejus quotidie confitemur, & 1. Reg. cap. 2. expreſſum legimus אין קדוש כיהוה non eſt Sanctus, ſicut Dominus. Cum ergo Divina ſanctitas ſummis laudibus digna ſit, & perpetuum honorem à Creaturis expoſcat, jam conſtat quod in hac prophetica viſione, non Seraphinorum ſanctitas, quæ à Deo tamquam à perenniſſimo totius ſanctitatis fonte emanat, ſed ipſa Dei præſentis ſanctitas laudatur.

III. Et

III. Et ne videamur contra Judæos teſtimonia clariſſimæ veritatis à longinquo repetere, eos ſuis libris, ſuiſque expoſitionibus refellemus: Nam Rabbi Symeon ben Jochai hoc eſt filius Jochai, qui apud ipſos Judæos auctoritate plurimum valet, in Commentarijs libri Geneſeos exponens illa verba נעשה אדם faciamus hominem &c. ſic ait: *traditum eſt ex libro Seniota de Siphra ideſt occultationis, & pudoris. Poſtquam in ſupernis determinatum eſt in univerſum de hominis formatione ſanctum corpus, & fœmina incorporata ſunt. In tempore autem tertio, quod videlicet conſequitur primum Sanctorum Patrum tempus, & ſecundum tempus Prophetarum, completa eſt hæc maxima copula mediante corpore ſancto. Quodammodo ridebant Mundi, & congratulabantur ſimul, efficiebantque unum corpus, quoniam corpus quod erat ſuperius, erat etiam inferius. Deus Sanctus, & benedictus ſuperius, Deus Sanctus, & benedictus inferius. Et proſiliens ſpiritus de vagina venit in corpus, & in his omnibus unus tantum videbatur, ille nimirum cui dicitur Sanctus Sanctus Sanctus Deus exercituum implet totam terram gloria ſua, & hoc totum unum eſt corpus*. Legantur hujus Rabbini verba apud Galatinum lib. 3. de arcanis Catholicæ veritatis cap. 1. in quibus palam oſtendit ipſum Dei Verbum, ſive Dei Filium verum Deum, verum quoque hominem eſſe, eo quod de Cœlis deſcenderit, ſumpſeritque de Sanctiſſima Virgine corpus.

corpus.

corpus. Repetitis etiam Triſagij verbis cum ait, *& in his omnibus unus tantum videbatur, ille nimirum cui dicitur Sanctus Sanctus Sanctus*, non obſcurè inſinuat, in Divinis unam eſſe eſſentiam, quia dicitur *Sanctus*, tres eſſe Perſonas ob Myſterium ternariæ laudis adhibitæ. Ecce jam ex ipſorum Judæorum mente manifeſtè colligitur Seraphinorum laudes ad Deum eſſe referendas.

IV. Neque hic ſilentio prætereundum eſt, quod idem Rabbi Simeon, Rabbi verò Jonathas, qui Chaldaicè ſcripſit, adductum Iſaiæ textum ita ſunt interpretati קדוש זה אב קדוש זה בן קדוש רוח הקדש idest *Sanctus hic eſt Pater, Sanctus hic eſt Filius, Sanctus hic eſt Spiritus Sanctus*. Hebræi verò recentiores à ſuis exemplaribus, quæ nunc habent, hanc expoſitionem deleverunt, illam verò ſe in vetuſtiſſimis vidiſſe teſtatur Galatinus lib. de arcanis Catholicæ veritatis cap. 1.

V. Negare tamen non poſſunt Angelicum cantum Deo tantum tribui, cum dicitur Sanctus &c. Nam hoc etiam fatentur Talmudiſtæ, qui quamvis multa indigna de Angelis proferant, aſſerunt tamen eos Deum laudare præfato Triſagio, nam in Codice חולין Cholin cap. 7. pag. 91. citato à Bartolocio Biblioth. Rabbinicæ tom. 1. pag. 256. dicitur, quod tres claſſes Angelorum miniſterij diſtributæ ſunt ad recitandum Canticum ſingulis diebus. Prima dicit קאדוש Kadoſc Sanctus. Secunda dicit קאדוש Sanctus.

ctus. Tertia dicit Kadoſc קדוש יהוה צבות Sanctus Dominus Sabaoth exercituum.

VI. Quod ſi hæc ad convincendos Judæos non ſufficiunt, ad eorum doctrinam Cabaliſticam provocamus. Nam juxta eos tres aſſignantur mundi, nempè Corporeus, Intellectualis, & Deitatis ex eo, quod Seraphim vocaverunt Sanctus, Sanctus, Sanctus, & dicitur in Deuteronomio, magnus, potens, & terribilis, magnus ante creationem, potens in creatione, terribilis, hoc eſt reverendus poſt creationem. Rurſus in lib. Sohar parte 2. fol. 69. columna 276. fit mentio quatuor ſyſtematum, nempe אצילות Aziluth hoc eſt emanationis בריא Bria ideſt creationis יצירה Jezira ideſt formationis, ac demum עשאות Aſcia ideſt factionis, de quibus ſuo loco agemus. Interim hæc Judaicæ Cabalæ fundamenta magnum in verbis Iſaiæ, atque adeò in Triſagio latere myſterium nobis inſinuant, atque ex ipſis validiſſimum pro Catholica veritate conficere poſſumus argumentum. Et primo ſupponimus, quod ſanctitas ſit conformitas cum lege æterna, atque invariabili; ad hanc autem legem per intellectum, & voluntatem diriguntur Creaturæ, in quibus eſt ratio, & voluntas, cæteræ autem ratione carentes, quodam impulſu, atque inſtinctu gubernantur. Igitur vox ſanctus ter in hac prophetia adhibetur. Ob ſanctitatem, quæ eſt in mundo Emanativo, quæ diffunditur, in Briathicum, & Jeziriticum. Et quia

in

in Aſiathico non eſt ſanctitas per cognitionem, & voluntatem, ſolum poſtea dicitur plena eſt omnis terra gloria ejus. At quemadmodum in recipiente legem, & intellectum, quo percipiat, & voluntatem, qua exequatur neceſſe eſt intervenire, ſi Deus eſt ſanctus, & fons totius ſanctitatis, & eſt ipſa lex æterna, immutabilis, atque invariabilis, multo magis debet eſſe ſapiens, ut diſponat potens, ut exequatur; abſurdum eſt enim ad obtemperandum legi requirere cognitionem, & voluntatem, & ſummo totius legis promulgatori, ſapientiam, & poteſtatem denegare. Potens igitur eſt Deus, & ſapiens, & eſt ipſa æterna lex Mundum præcedens, & fons totius ſanctitatis. Si igitur ipſi dicitur Sanctus, jam eſt ſibi ipſi conformis per ſapientiam, qua ſe intelligit, per amorem, quo ſe diligit. Vide jam ut Trinitatis ineffabile myſterium rectè inferatur ex eo quod Seraphim ter clamaverint alter ad alterum Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. Habes Dominum, Dominum videlicet infinitum, principium ſine principio; habes in hoc principio æterno æternum Verbum, ſive Sapientiam; In principio, & Verbo æternum amorem ſive Spiritum Sanctum.

VII. Lege æterna, quæ eſt ipſemet Deus fons totius ſanctitatis Mundum eſſe conditum, & eadem lege conſervari; atque ex hac manifeſta veritate poſſe nos veluti per veſtigia ad venerandum Trini-

tatis

tatis myſterium adduci clariſſimè ſuadent verba pſalmi 148. ubi Regius Propheta omnia creata ad ſui Creatoris laudes invitat. *Quia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt. Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi, præceptum poſuit, & non præteribit*. Hoc præceptum, & hoc mandatum, quo omnia creata, & firmata ſunt, & quo adhuc conſervantur, Legem æternam eſſe nemo inficiabitur, eſt enim præceptum omnipotens, quo omnia creata ſunt. Hoc autem præceptum, hæc lex æterna, & invariabilis, Verbum ab eodem Propheta appellatur. Cum ait *ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*, hoc eſt obtemperant Verbo ejus. Sed clarius pſ. 32. apud Hebr. 33. בִּדְבַר יהוה שָׁמַיִם נַעֲשׂוּ וּבְרוּחַ פִּיו כָּל־צְבָאָם idest *Verbo Domini Cæli firmati ſunt*. Hebræi legunt *facti ſunt*; *Et ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Hebræi legunt *exercitus eorum*. Lex ergo illa, qua Cœli creati, firmati, & ordinati ſunt, & Verbum Domini, & ſpiritus oris ejus nuncupatur. Cum autem Deus incorporeus ſit, & ſimpliciſſimus, nullamque compoſitionem admittat. Jam per Verbum non debet intelligi verbum materiale prolatum ex ore, neque os eſt literaliter aſſumendum, ſed ſpiritualiter.

VIII. Aſcendat mens noſtra ex pulchritudine, bonitate, magnitudine creatarum rerum ad Thronum Creatoris, qui tam admirabile opus formavit,

Digitized by Google

Scripturis Sanctis ducentibus inſtruetur, Verbum illud, quo facta ſunt omnia, eſſe Verbum in æterna mente ante omnia conceptum, & ante omnia productum, Deo coeternum, & æquale, ſpiritumq; oris ejus eſſe Divinum Spiritum ab æterna voluntate Patris, & Verbi ante omnia procedentem, quo ſpiritu ad extra diffuſo, & emiſſo omnia creantur, & renovantur juxta Davidica eloquia: *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.*

IX. Quod autem Verbum, per quod omnia facta ſunt, etiam Sapientia in ſacris literis nominetur, Sapientia nempe æterna, nos docet Salomon Prov. cap. 8. ubi ait verſ. 12. *Ego Sapientia habito in conſilis, & eruditis interſum cogitationibus.* Et ut agnoſceremus ſermonem eſſe de Sapientia æterna, æternam ejus originem indicat verſ. 22. & ſeqq. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio, ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret, nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram, necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes gravi mole conſtiterant, ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines Orbis terræ. Quando præparabat Cœlos aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos. Quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum. Quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem pone-*

bat

bat aquis, ne tranſirent fines ſuos, quando appendebat fundamenta terræ. Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.

X. Clariſſima hæc ſunt teſtimonia, quæ æterna Sapientia dictante in ſacris voluminibus conſcripta ſunt. Semper fuit cum Omnipotente Deo ſapientia ejus, ſeu Verbum ejus, Spiritus ejus. A Trinitate omnia prodiere. Cum æterno Patre erat Sapientia Filius cuncta componens, erat æterna voluntas æternus Spiritus cuncta vivificans, & adornans. Compoſita ſunt contraria inter ſeſe elementa, & ſua concordi diſcordia Omnipotenti dexteræ famulata ſunt. Compoſitæ ſunt temporum viciſſitudines, ut prolabentium dierum ſtabilis ordo immotum unum ſtabile, ac ſempiternum principium indicaret. Compoſita omnia ſunt, quia æterna lege condita, & æterna lege diſpoſita. Vide in quantis delectabatur per ſingulos dies Sapientia. Delectabatur intra ſe, quoniam erat ſummi boni ſapientia, & amborum nexus æternus erat amor. Delectabatur extra ſe ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe Terrarum. Ludens in luminaribus, & tot oculis ſpectans res mortalium, quot ſunt in illo ætheris domicilio collucentium formæ ſtellarum. Delectabatur in floribus, delectabatur in fructibus, in arboribus delectabatur, in minutiſſimis quoque

ſeminibus, in quibus quid poſſet oſtendebat. Delectabantur in homine, in quo altè, & tenaciter imaginem ſuam impreſserat, & quem creatarum rerum compendium effecerat. Erant deliciæ ſuæ eſſe cum filijs hominum, quorum ſalus æterno conſilio decreta, quorum pretium illa eadem Sapientia fuit humana carne induta.

XI. Hæc eſt illa Sapientia, quæ in ampliſſimo creatarum rerum theatro quædam veſtigia reliquit, ut fatentur veteres Judæi, qui accepta à majoribus humanarum, divinarumque rerum ſcientia gloriantur. Hæc eſt illa Sapientia, cujus deliciæ humanum genus, & quæ ſemper fuit in delicijs habita ſummo ſtudio conquiſita. Voluit tamen, ut immenſæ ſuæ lucis radij mortalium oculos perſtringerent, latens apud eum, qui poſuit tenebras latibulum ſuum, & qui puris, ac beatiſſimis mentibus ſeſe conſpiciendum præbet, & ſolum cui voluerit profunda revelat. Hæc eſt Sapientia Antiquorum, quæ in beata temporum plenitudine e Cœleſti faſtigio deſcendit, ut Mundum ab erroribus expurgaret.

XII. Quod verò antiquorum mentes hæc Sapientia illuſtraverit, animoſque eorum, in ſui deſiderium accenderit, veteris doctrinæ monumenta teſtantur. Audiamus Sanctum Job, qui hominum induſtriam inducens in latentibus theſauris perquirendis, in effodiendis intimis terræ viſceribus, ut auro, & argento locupletetur, in peragrandis remotiſſi-

tiſſimis provincijs, homo enim gemmarum nitore obcœcatus, nec pericula videt, aut tempeſtates perhorreſcit, nec labore, aut difficultate fractus deſiſtit ſollicitè inquirere, quæ natura in ſuo ſinu ab humanis oculis abſcondit, & quæ hominum uſibus, pompæ, utilitatique deſerviunt. Ex hoc autem argumentatur quanto æquius ſit opinari eſſe in rerum natura abditos receſſus, & promptuaria Sapientiæ, unde illa in omnes amatores ſuos diſpenſetur. Ubi ſunt ergo illi theſauri? Aurum enim, & argentum potuerunt homines in ſuis latibulis inveſtigare, eruere, & in lucem producere, horum autem vel minimum creare numquam potuerunt; quanto ergo conſtantius, & evidentius eſt, non fuiſſe, nec eſſe poſſe in eorum poteſtate, minimum quidem radium Sapientiæ producere. Hoc autem eo clarius eſt, quo Sapientia ipſa auro, argento, gemmiſque prætioſior judicatur. Unde concluditur, neque Angelos, neque homines illius eſſe Creatores, aut diſpenſatores, ſed à Summo Deo illam eſſe ante omnia, cum illo Orbem creaſſe, & nunc moderari. *Habet argentum*, verba ſunt Jobi cap. 28. *Venarum ſuarum principia: & auro locus eſt in quo conflatur: ferrum de terra tollitur, & lapis ſolutus calore in æs vertitur.* Et verſ. 12. & ſeqq. ſtatim ait. *Sapientia verò ubi invenitur? Et quis eſt locus intelligentiæ. Neſcit homo pretium ejus, nec invenitur in terra ſuaviter viventium. Abyſſus dicit non eſt in me,*

me, & mare loquitur: non eſt mecum. Verſ. verò 20. & ſeqq. *Unde ergo Sapientia venit? Et quis eſt locus intelligentiæ? Abſcondita eſt ab oculis omnium viventium, volucres quoque Cœli latet. Perditio, & mors dixerunt: auribus noſtris audivimus famam ejus. Deus intelligit viam ejus, & ipſe novit locum ejus.*

XIII. Ecce jam intelligimus, non eſſe in terræ viſceribus, aut naturæ corporeæ ſinu inveſtigandos ſapientiæ theſauros. Neque ibi profundiſſimas venas ſuas requirendas, ſed in ſolo Summi Dei, atq; æterni Patris ſinu. Qui intelligit viam ejus. Sunt quidem in rerum natura, atque in intimis terræ viſceribus auri, & argenti venæ, multarumque divitiarum promptuaria. Et quia ſunt inde eruuntur. Venas autem ſapientiæ, & veritatis, ipſumque ſummum theſaurum, nec in humana, nec in Angelica natura poſſumus reperire, ſi enim aut Angeli, aut hominis natura ipſa ſapientia, & veritas eſſet, nec Angelus olim à veritate excidiſſet, nec homo tam frequenter à veritate aberraſſet. In ſolo ergo Deo quærenda ſapientia eſt, ſapientia nempe æterna, ſtabilis, & conſtans; Qua omnia creata, & diſpoſita ſunt, & providè conſervantur.

XIV. At ne videamur longa æternæ ſapientiæ commendatione à propoſito ſcopo aberrare, ex ijsdem Jobi verbis contra Judæos veteris cabalę peritos deſumimus argumentum, atque oſtendimus myſte-

myſterium Trinitatis in illis Iſaiæ verbis contineri, nempe Sanctus Sanctus Sanctus. Repetamus iterum verba allata à S. Job. *Nempe ſapientia verò, ubi invenitur, & quis eſt locus intelligentiæ*, quibus in verbis ſapientiæ, atque intelligentiæ mentio habetur. Hic autem ſcire oportet veteres Iudæos decem ספירות Sephirot, ſive numerationibus, aut prædicatis ſolitos fuiſſe de rebus divinis diſſerere: tres primas appellabant ſupremas, quas hic tantum commemorabimus. Prima dicitur כתר Keter, ſive corona ſumma, ad quam inter cætera cognomina pertinere ajebant, quod eſset infinitum, cauſa cauſarum; fons ſine fundo, miſericordiarum Pater, lux inacceſſibilis. Secundæ Sephiræ nomen eſt חכמה Chocma, ſive Sapientia, cujus cognomina præcipua, ut multa omittam, ſunt. Principium, Primogenitura, Lux primitiva, ſemitæ idearum liber, Sanctum Sanctorum, profundum cogitationis, olei unctionis ſcaturigo. Verbum. Tertia numeratio appellatur בינה Bina, ſeu prudentia, ſeu intelligentia, ſeu conciliatrix cognitio, ſeu ſcientia, cujus cognomina ſunt Iobilæus magnus, & proindè hæreditas Iacob. Dies ſuprema, dies propitiationis. Vox interior, Rex ſedens in throno miſerationum. Fluvius egrediens e Paradiſo, mens ſeu anima ſuprema, myſterium fidei, fundamentum ſpirituum, lumen mirificum, aquæ profundæ, formatrix; vita venientis ſæculi, palatium ſapientiæ, juſtitia ſuperior.

rior. Gloria, fons vitæ. Ignis ignem conſumens. Hæc omnia habentur in myſterijs, atque Ænigmatibus libri Sohar, qui apud Judęos maximam habet athoritatem. Nos hic ex Sephiris, earumque cognominibus non deſumimus contra ipſos Judęos argumenta pro trium Divinarum Perſonarum exiſtentia, cum hoc opus feliciter à multis eruditis Viris peractum ſit. Quod nunc ad rem attinet, & ad explicationem Jobi, & textus Iſaię plurimum conducit. Supponimus pro certo relatas numerationes appellari ſupremas, & vocari unam ſedem, ſive unum thronum. Igitur cum Sanctus Job ſapientiam, & intelligentiam nominat, & ait quod apud Deum eſt locus ſapientię, & intelligentię, jam debent admittere ipſi Judęi, quod tacitè nobis inſinuet unitatem eſsentię, & Perſonarum Trinitatem, indicat enim illum, apud quem ſunt ſapientię, & intelligentię Theſauri, illum nempè, quem ipſi Hebręi appellant Coronam ſummam, cauſam cauſarum, fontem ſine fundo. Et hic eſt Pater. Indicat ſapientiam, quam Hebręi dicunt lucem primitivam, principium, ſemitam idearum. Verbum, olei unctionis ſcaturiginem, & hęc eſt Filius. Nominat intelligentiam, quę apud Hebręos eſt conciliatrix ſcientia, lumen mirificum, formatrix ſpirituum, ignis ignem conſumens, & hęc aptari poſsunt Spiritui Sancto. Jam telum de manu hoſtium extorſimus; Verba ergo Iſaię nempe Sanctus Sanctus Sanctus in

vir-

victoriæ ſignum beatiſſimis ſpiritibus cantantes, oſtendamus Iudæis aliquem ex ducibus ſuis à nobis captum. Rabi Iſac in Commentarijs lib. Jetzira loquens de illis tribus ſupremis numerationibus ſic concludit, *Tres numerationes ſummæ, atque ſupremæ ſedes una, in qua ſedet Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Ergo non temere, neque inconſultò Catholici ex Iſaiæ verbis, & Angelorum Triſagio, Divinæ Unitatis, atque Trinitatis myſterium deducunt. Cum etiam Judæi fateantur Trinam illam repetitionem ad tres ſupremas numerationes eſſe referendam, quæ tamen ſunt ſedes una.

XV. Quod ſi Hebræi nobis obiecerint, cur tam altum, ac tam ſublime Trinitatis myſterium non fuerit clarè in veteri teſtamento expreſſum, ſed ſolum figuris, atque umbris indicatum. Reſpondebimus altum fuiſſe Dei conſilium, ut occulta ſapientiæ ſuæ populo ad Idololatriam propenſo, & moribus finitimarum gentium corrupto non manifeſtarentur; tunc enim nullo in pretio fuiſſent Divina, & ſancta Canibus traderentur. Sancti tamen antiqui Patres, quibus Deus futuram eorum redemptionem in plenitudine temporum revelaverat, & qui in ſpem venturi Meſſiæ Unigeniti Filij Dei erigebantur, per interiorem auditum aliquam divinorum myſteriorum notitiam conceperunt, non tamen ut clarè omnibus revelarent, ut populo rudi

traderent, & indignis contemnenda communicarent, ſed tantum ſub allegorijs, atque figuris abſconderent, ut ſapientiam, quæ in ſinu Patris latebat, omnes deſiderarent, ac requirerent. Præclarè Nazianzenus orat. 37. pag. 608. ait: *Sic enim ſe res habet, vetus teſtamentum Patrem apertè prædicabat, filium obſcurius, novum autem, nobis Filium perſpicuè oſtendit, & Spiritus Divinitatem ſub obſcurè quodammodo indicavit. Nunc verò Spiritus ipſe nobiſcum verſatur, ſeſeque nobis apertius declarat. Neque enim tutum erat Patris Divinitate nondum confeſſa Filium apertè prædicari; nec Filij Divinitate nondum admiſſa Spiritum Sanctum velut graviorem quamdam, ſi ita loqui fas eſt, ſarcinam nobis ingeri: ne alioqui velut cibis ultra vires gravati, ac Solis radijs hebetes oculos adjicientes ijs quoque, quibus præditi eramus viribus periclitaremur: Quin tacitis potius acceſſionibus, & ut David loquitur aſcenſionibus, atque ex gloria in gloriam progreſſionibus, & incrementis Trinitatis lumen ſplendidius illuceret.* Cyrillus Alexandrinus adverſus Julianum lib. 1. pag. 18. tom. 6. *Deum igitur unum, uti modo dicebam certo ſciebat exiſtentem Divinus Abrabam, eique ſoli purum, ac ſincerum cultum exhibebat, ubi progreſſu temporis, exſervit ſeſe animus ad profectum eorum, quæ rectè jam apud ſe conceperat, tunc certè multo efficacius de Divinitate loqui adortus eſt: Nec enim dumtaxat quod unus Deus, & præter ipſum nul-*

nullus alius ſit, ſed quod & in ſancta, atque conſubſtantiali Trinitate concipiatur unius incorruptæ naturæ perfectio, ac complementum edidicit. Solum vero ut in figuris, & accomodatè ad ſenſum edocebatur. Cur ita? Quia ÿs qui recens ad veritatis cognitionem vocati ſunt, nec mentem ejus ſpeculationi aſſuefactam habent, inacceſſum quodammodo videtur, & reapſe eſt Divinæ viſionis lumen. Indiget enim ejuſmodi cognitio, erecta, exercitata, perſpicacique mente, atque inſuper antegreſſa fide confirmata.

Digitized by Google

DISSERTATIO
DECIMASEPTIMA
Verſ. 9. ejusdem Cap. 6. Iſaiæ.

VAde, & dices populo huic, audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Et verſ. 10. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat &c.

Illuſtriſs. Dom. D. Abbati JO: VINCENTIO CAPPONIO Patritio Florentino, hac, & ſequentibus Diſſertationibus ad varia quæſita circa hunc Iſaiæ verſum reſpondet Auctor. Videlicet cur Judæi, è quorum manibus Sacras Scripturas accepimus, quæ de Meſſia adventu habentur, teſtimonia non intelligant. An hodie etiam à Veteribus recepta extet illa ſcientia, humanarum, Divinarumque rerum, in qua multi gloriantur ſe mirè profeeſſe. Quæ nam illa fuerit oſtenditur, errores, quibus, eſt conſperſa refelluntur, & de antiqua, & nova ſtudiorum methodo diſſeritur.

I. Memini me ſæpius V. C. cum ſumma animi mei voluptate tibi aliquid ex ſacris voluminibus explicaſſe, & inter cætera jucundum inter nos fuiſſe ſermonem de excellentia novi Teſtamenti, quod melioribus promiſſionibus ſancitum eſt, & in quo Unigenitus Dei Filius Verbum æterni Patris, abſcondita à Conſtitutione Mundi nobis revelavit, nos docuit, atque inſtruxit, nobiſque patefacit vias vitæ, memini etiam te quodam ſtupore correptum, diligenter à me quæſiviſſe. Cur Judæi, in quorum manibus vetus teſtamentum uſque ad beatam temporis plenitudinem conſervatum eſt, & à quibus illud accepimus, ut hæredes Dei, Cohæredes autem Chriſti, ad tantam cœcitatem devenerint, ut Prophetarum vaticinia, quæ Meſſiam venturum prænunciabant, & ejus prædicationem, mortem, converſionemque gentium prædicebant, adimpleta eſſe negent. Cum tamen quotidie illa audiant à Doctiſſimis Viris explicari, cum ante eorum oculos verſentur. Cum videant trophæa Chriſti ubique appenſa, & Orbem ad Chriſtum converſum vel inviti fateantur. Cum de hac re prolixius tractaretur, ad antiquam ſtudiorum methodum ferebamur, & quænam illa fuerit inquirebatur, an videlicet rerum humanarum, divinarumque notitia, moduſque de illis differendi, quo gentis Judææ Patres, Filios, di-

cipu-

Digitized by Google

cipuloſque ſuos inſtruebant, ſit omni ex parte retentus, & aliqua adhuc ejus veſtigia extent, illaque ſint, in quibus Viri doctiſſimi ſe tantum profeciſſe gloriantur, ut potuerint ferè de omnibus rebus hujus artis ſubſidio diſſerere. Ut fixius quæ tibi a me voce tantum prolata ſunt retineantur, ſcripto quæſitis tuis ſatisfacio, & ne, dum brevis eſſe laboro, obſcurus fiam; Explicationem hanc meam in varias partes dividam. In prima agendum erit de Judæorum cœcitate. In ſecunda, an integra perſeveret antiqua illa ſtudendi methodus, a qua multi ſe plura accepiſſe gloriabantur. In tertia ejus theoriam exponam; in quarta praxim ejus indicabo. Atque ut à prima ordiamur.

II. Solo æternæ ſapientiæ magiſterio poterant homines pervenire ad intelligentiam myſteriorum, quæ in veteri Teſtamento, quibusdam umbris, ſignis, ac figuris velata continebantur, & per adventum promiſſi Redemptoris, qui eſt ipſa Summi Patris ſapientia erat à mentibus hominum auferendum velamen; patefacienda occulta, confirmandique ſub tanto præceptore homines ipſi in cognitione veritatis. Venit jam beata illa, & diù expectata dies, in qua populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt. Et quemadmodum adventante Sole procul abeunt umbræ, & teterrima noctis facies in clariſſimam diem convertitur. Ita

ve-

Digitized by Google

veteris Teſtamenti umbræ Divino Soli, & figuræ omnes, æternæ ceſſerunt veritati. Et quemadmodum qui odit lucem, qui exorto Soli, domus feneſtras claudit, ſemper in tenebris ambulat. Ita Judæi, quibus olim Deus per Prophetas loquebatur, & quibus locutus eſt in filio, quem conſtituit hæredem univerſorum per quem fecit & ſæcula, quem dedit præceptorem in gentibus, ut aperiret oculos cœcorum, quia ab ipſo Dei Filio, vero magiſtro, veraque ſapientia receſſerunt cœci ſunt, in tenebris ambulant, & quamvis ſacras literas præ manibus habeant, nihil vident, aut intelligunt, cum illud veteris Teſtamenti velamen per fidem in Chriſtum eſſet auferendum. Hæc eſt ratio ex doctrina Divi Pauli deducta. Ipſe enim Epiſtol. 2. ad Corinth. cap. 3. verſ. 14. ſic ait de Judæis. *Sed obtuſi ſunt ſenſus eorum. Uſque in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non revelatum, quoniam in Chriſto evacuatur.*

III. Hic eſt agnus dominator terræ, cujus adventum expectabant antiqui Patres. Hic agnus innocens pro nobis occiſus, qui ſolus dignus inventus eſt aperire librum, & ſolvere ſignacula ejus, meritò igitur à ſapientiæ faſtigio dejecti ſunt, qui illum non audierunt, qui contempſerunt, & occiderunt, & ad occiſum pro nobis non convertuntur. Perpetua confuſione, & inſtabilitate videmus eos puniri qui ipſam Iſraelitici populi expectationem in terris am-

manifeſtatam, tantiſque ſignis, ac prodigijs oſtenſam, & amare, & ſequi, & amplecti neglexerunt. Hæc prædixit Deus per Prophetam ſuum Jeremiam, qui imminentes miſerias Judaicæ gentis deplorans, metuendum etiam illud ſupplicium indicavit, quo deſertores Meſſiæ juſtiſſimè debebant puniri; legimus enim cap. 17. verſ. 13. *Expectatio Iſrael Domine: Omnes qui te derelinquunt confundentur; recedentes à te in terra ſcribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.* Jam vides de Domino ſermonem eſſe, qui eſt expectatio Iſrael. Et quis eſt expectatio Iſrael niſi Meſſias! Qui eum derelinquunt, non famam, non gloriam, non æternum nomen ſibi comparant, ſed contumeliam, & opprobrium. Scribentur in terra incedentium pedibus conterenda. *Quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.* Nempe Salvatorem, ac Redemptorem ſuum, à quo perenniſſimi fontes manarunt in populorum ſalutem. Ut prædixerat Iſaias cap. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Hoc peccatum Juda, ut ait Jeremias initio capitis 17. jam citati. *Scriptum eſt ſtylo ferreo in ungue adamantino.* Hoc omnium miſeriarum fons, & origo; Ut merito cum eodem Jeremia cap. 49. affirmare poſſimus: *perijt conſilium à filijs, inutilis facta eſt ſapientia eorũ.*

IV. Quicumque viderit Judaicam ſtirpem tantis poſt adventum Meſſiæ ſæculis, profugam, afflictam,

ctam, diſperſam, ſine Rege, ſine Templo, ſine Prophetis, ſine Scribis, ac Doctoribus, ſine Sacerdote, & Altari, ſtatim intelliget aliquod graviſſimum ſcelus, quod omnia præterita hujus gentis crimina longe exceſſerit, fuiſſe commiſſum. Deus enim, qui cum iratus fuerit, miſericordiæ recordatur, numquam univerſum populum, tam longa, tamque implacabili caſtigatione punivit. Nam maximum quidem ſcelus fuit conflatio Vituli, Prophetarum occiſio, prævaricatio Sacerdotum, de qua lib. 2. Paralip. cap. 36. verſ. 14. ſcriptum eſt: *Sed & univerſi Principes Sacerdotum, & populus prævaricati ſunt iniquè juxta univerſas abominationes gentium, & polluerunt domum Domini, quam ſanctificaverat ſibi in Jeruſalem.* Et tamen ob tam gravia delicta filij Iſrael Babylonica captivitate ſunt puniti, quæ duravit ſeptuaginta tantum annis; quo temporis ſpatio, nec Sceptrum, nec Prophetas Hebræi amiſerunt. Cum igitur oſtendere non poſſint Iudæi quod nam ſcelus poſt Babylonicam captivitatem commiſerint, quod gravitate ſua omnia præterita ſuperaverit, armaveritque ad vindictam, Dexteram Dei ultricem; Jam conſtat eos ideo derelictos, & afflictos, ſine inſtructione ſapientum, atque aflatu Prophetarum eſſe tot currentibus jam ſæculis,quia Meſſiam æternam ſapientiam nō cognoverunt, quia derelinquerunt fontem aquarum viventium Dominum, extra quem nec ſapientia, nec

ſalus, nec pax, aut ſecuritas, aut felicitas eſſe poteſt.

V. *In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Sapientiæ cap. 1. expreſſum eſt. Et Proverb. 1. inquit eadem Sapientia. *Qui autem me audierit, abſque timore requieſcet, & abundantia perfruetur, timore malorum ſublato.* Et cap. 2. *Si intraverit Sapientia cor tuum, & ſcientia animæ tuæ placuerit, conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſervabit te, ut eruaris à via mala.* Meritò igitur infelices, ac inſipientes ſunt, qui veram ſapientiam totius felicitatis principium non quæſierunt, venientem in terras contempſerunt. Stultus eſt qui erudiri deſiderans, præceptoris verbum audire recuſat. Cum autem Deus ſapientia, verboque homines inſtruat, & Unigenitus Filius ejus ſit Paternæ ſapientiæ ſplendor, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, quam qui ſequuntur, non ambulant in tenebris. Mirum non eſt, quod in ignorantiæ tenebris verſentur Judæi, qui Divinum Verbum à Patre miſſum non audierunt. Hinc D. Auguſtinus ſermone 2. de Epiphania Domini. Conſiderans, quod Magi ab Oriente profecti, Chriſtum natum Judæorum Regem requirebant, quem tamen Judæi ignorabant licet de ejus nativitate in Bethelem Judæ Prophetias haberent, ſic ait: *Magorum illuminatio magnum teſtimonium, cæcitatis ex-*

extit Judæorum. In terra eorum illi requirebant, quem illi in ſua non agnoſcebant. Demum concludit. *Quid aliud hic ſignificavit Divina Providentia, niſi apud Judæos ſolas Divinas literas remanſuras, quibus gentes inſtruentur illi excæcarentur.*

* * * * * * * *

DISSERTATIO
DECIMAOCTAVA

Quanam fuerit Antiquorum methodus, de humanis, diviniſque rebus differendi, & ejusdem partitio Alphabetaria revolutiones quibus Prophetæ utebantur, & qualis eorum abuſus. Pithagoræ ſymbola expoſita.

I. AD alteram partem eruditiſſimæ interrogationis devenio, an ſcilicet extet nunc in Judaicis monumentis mirabilis illa ſciendi methodus, in qua multi gloriati ſunt, & ſe de omnibus rebus poſſe quæſtiones inſtituere palam dicere non ſunt veriti. Amplum, ac ſpatioſum mare ingredimur, quod dum multi navigare tentaverunt inciderunt in ſcopulos, nec ad deſideratum veritatis portum pervenerunt. Ego ea, qua potero, claritate rem tibi explanabo, & paulo altius repetam iſtius ſcientiæ originem. Veteres Judæi methodum ſuam differendi de terrenis, diviniſque rebus cabalam appellabant a verbo קִבֵּל quo idem eſt ac accepit. Sibi enim traditam à majoribus hanc doctrinam affirmabant, &

hæc

hæc in duas dividitur partes, cum enim de rebus naturalibus pertractat, appellatur opus de Bereſcit. Cum verò de divinis myſterijs agit, tunc dicitur opus de Mercava. Utrumque opus elementis Hebraici Alphabeti, ſuiſque ſymbolis, quinquaginta portis, triginta duabus ſemitis, decem numerationibus, quadruplici ſyſtemate, & demum revolutionibus ſupradicti Hebraici Alphabeti abſolvitur; In hujus ſcientiæ expoſitione multum quidem laborarunt, Joannes Reuchinus, qui tres libros compoſuit Leoni Decimo Pontifici Maximo dicatos. Joannes Picus Mirandulanus, Joannes Carolus Saracenus, Archangelus Burgonovenſis, Paulus Riccius, Joſeph Voiſinius. Rittangelius. Raymundus Lullius in arte magna magnarum artium. Paulus Scaliger Epiſtemonis Catholici lib. primo, & lib. undecimo. Petrus vero Gregorius, ut Raymundi inventionem ſtudentium uſui magis accomodaret, & clariorem redderet, librum compoſuit, cui titulus, ſintaxis artis mirabilis, multi tamen eorum dum libero pede per lubrica, ac ſuſpecta incedere voluerunt, lapſi ſunt in eos errores, quos vitare debuerant, ut infra explicabo.

II. Sciendum interim eſt Alphabetarias revolutiones, quarum ſubſidio Cabaliſtæ aliqua loca veteris Teſtamenti explicabant, & quas potiſſimum multi uſurpant, pertinere ad antiquam elementariam expoſitionem, qua & aliqui Prophetæ, & Pa-

tres

tres aliquando uſi ſunt. Sumebant enim, vel literam pro dictione ab ea incipiente, vel dictionem pro dictione, vel literam pro litera. Hoc artificium deprehendi poteſt in antiquis Alphabetis tranſmutationi deſervientibus, à quibus citandis abſtineo. Videatur Bartolocius tom. 1. Biblioth. Rabinicæ, & Paulus Scaliger Epiſtemonis Catholici lib. 12. ubi affert vigintiduo Alphabeta à Rabi Abraham compoſita. Certè inter Prophetas Jeremias cum cap. 25. ſuæ Prophetiæ ultima Dei ſupplicia, & imminentem Regi Babyloniæ Divinam vindictam vellet indicare, ne prædictione mali futuri irritaret ipſum Regem, nomen Seſac adhibuit pro Babel inquiens, *& Seſac calicem iræ Dei bibet poſt eos*. Eſt autem, ut ibi notat Hieronymus, & Sixtus Senenſis Biblioth. Sanctæ lib. 3. explicandi hujus nominis regula, quod ſicut nos Græcum Alphabetum ab Α Alpha uſque ad Ω Omega per ordinem legimus, rurſumque ad exercendam memoriam diſcipulorum, ſolemus lectionis ordinem vertere, & primis extrema miſcere nectentes Α, & Ω Omega, & Vita Β cum Ψ Pſi, ita Hebræi ab א Aleph, & ב Beth, & ג Ghimel recto ordine procedunt uſque ad ת Tau, cujus penultima eſt ש Sin, deinde conjungentes ſimul א Aleph ת Tau, ב Beth, & ש Sin cum ad medium alphabeti perveniunt literæ ל Lamed, occurrit כ Caph. Ut res clarè intelligatur, & artificium à Jeremia adhibitum, ponam hìc integrum alphabetum Hebraicum

Digitized by Google

cum cum ſua permutatione, ſive revolutione, quo utebantur Veteres, quæ quidem revolutio appellabatur צרוף Ziruph.

אבגדהוזחטיכלמנסעפצקרשת
תשרקצפעסנמלכיטחזוהדגבא

ponit ergo Propheta nomen ששך Seſac pro nomine בבל Babel, quia nimirum duplex Sin ſecundi alphabeti inverſi correſpondet duplici ב Beth prioris,& litera ך quæ hìc ſcribitur finalis pariter reſpondet literæ ל Lamed. En ergo ut ponitur litera pro litera, & nomen pro nomine. Daniel quoque adiungens dictionem dictioni, & ex una alteram veluti eruens; ut ejuſdem cap. 5. legimus, tria illa verba, quæ prodigioſa manus in adverſo pariete deſcripſerat interpretatus eſt מנה Mane תקל Techel פרס Phares, hoc eſt numeratum, ponderatum, diviſum, quæ tria verba per tres integras dictiones ab eodem Propheta ſic exponuntur. Numeratum eſt Regnum tuum à Deo, & completum eſt. Ponderatum eſt in ſtatera, & inventum eſt deficiens. Diviſum eſt Regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis.

III. D. quoque Auguſtinus in tractatu 9. ſuper Joannem, & ante eum D. Cyprianus in tractatu de Sina, & Sion, & Beda in Commentarijs in Joannem declarantes Etymologiam nominis Adam, putant primum hominem ſic appellatum, quia terra illa,

ex

Digitized by Google

ex qua ab æterno Protoplaſte fictus eſt, ſumpta eſſet ex quatuor Mundi cardinibus, qui quatuor literis ejusdem nominis comprehenduntur nam A. Ἀνατολὴν ideſt Orientem. D. δύσιν ideſt Occaſum. Aliud A. ἄρκτον ideſt Septentrionem, & M. μεσημβρίαν hoc eſt Meridiem ſignificat.

IV. Hebræi has revolutiones ſibi vendicant, & dicunt eſſe præcipuam partem ſcientiæ, quam de Divinis, naturalibuſque rebus à majoribus ſuis veluti patrimonium paulo poſt Moyſis tempora acceperunt. Ego multa majora concedo, & multo antiquiores fuiſſe in populo illo ſcientias. Certum enim eſt Adamum primum omnium Parentem ſupernaturalium, atque naturalium rerum cognitione à Deo fuiſſe inſtructum, illumque multos ex poſteris ſuis ſcientia imbuiſſe. Certum eſt, Patriarcham Noe utpotè pium, & juſtum ſperaſſe Divina revelatione primordialis ruinæ reparationem, atque in hanc ſaluberrimam ſpem filios ſuos erexiſſe, docuiſſe modum colendi Deum, & intellexiſſe Deo inſtituente multa naturæ ſecreta, atque artes, & ſcientias humanæ ſocietati, ac conſervationi neceſſarias, quibus ſe primi exercuerunt ejus filij, ac nepotes per univerſum terrarum orbem diviſi. Certum eſt Salomonem, eam, quam præ omnibus rebus poſtulaverat à Deo ſapientiam obtinuiſſe, de omnibus rebus diſputaſſe, & convertiſſe in ſui obſequium, atque admirationem omnes illius ætatis

ſa-

ſapientes, nec incredibile eſt ſterilem, atque infructuoſam fuiſſe illius doctrinam, & quod multis prodeſſe non potuerit, eoſque ad reconditarum rerum cognitionem evehere. Non concedam tamen artem, quæ nunc extat, illam quo ad omnes ſui partes eſſe, quam antiqui præceptores receperant, & qua ad expoſitionem tam literalem, quam myſticam adhibebant, nam multa involuit dogmata, quæ receptæ de Divinis doctrinæ repugnant, vel cum agitur, aut de Angelis, aut animabus, imò de Deo ipſo. Uſum etiam Alphabetariæ revolutionis prout à Prophetis, Sanctiſque Patribus adhibitum, laudo, & veneror, numquam tamen laudabo eos, qui arcana in hujuſmodi revolutionibus, in quibus exercentur poſita eſſe exiſtimant, & ad eas recurrunt, tamquam ad certam, firmam, & indubitatam regulam, quoties, difficilis aliquis locus in Sacra Scriptura ſeſe offert: non animadvertentes, quod latet quidem in ipſis Divinæ Scripturæ verbis ſenſus, ſed non judicio hominis privati, neque fortuitis literarum combinationibus eruitur. Si enim omnia anagrammata, quæ ex literis Scripturæ formari poſſunt, certæ Scripturæ expoſitioni deſervirent, jam ipſum Verbum Dei, ad contrarios quandoque, & repugnantes ſenſus traheretur. Concludo igitur artem illam diſſerendi de naturalibus, & ſupernaturalibus rebus, quæ in multis hebraicis libris circumfertur, eſſe in multis corruptam, atque depravatam.

tam. Et quemadmodum aquæ e limpidiſſimis fontibus manantes, peragratæ terræ commercio colorem, ſaporem, virtutemque ſuam mutant. Ita methodus illa antiqua, dum à Patribus ad poſteros tranſmigravit, & à multis recepta eſt, quorum animi per finitimarum gentium commercia, & imitationem à veritate aberrabant, & à multis quoque, qui æternum Præceptorem Meſſiam contempſerunt, amantes potius tenebras, quam lucem, hinc mirum non eſt, quod aliquæ tantum hujus artis reliquiæ ſuperſint, ad quas inveſtigandas, Catholicæ veritatis, ac ſolidæ Theologiæ ſubſidio opus eſt, ut antiquum à novo, purum ab impuro ſecernatur.

V. Illud ſemper laudabo, quod de hac arte à Sixto Senenſi judicium pronunciatum eſt. Exiſtimavit enim vir antiquitatum hebraicarum inveſtigator diligentiſſimus methodum hanc antiquorum Philoſophiæ rudimentis eſſe conſperſam. Et quemadmodum teſte Clemente Alexandrino Numenius Philoſophus Platonem appellavit Moiſen Attice loquentē, ita Pithagoreos liceat appellare eos, qui hujus artis pręcepta qualia nunc extant multis poſt adventum Meſſiæ annis tradiderunt. Certè cum nulla eſſet doctrina Hebr. doctrina antiquior, hunc Philoſophū ſciendi cupidum multa ab Hebręis didiciſſe, compertum eſt. Nam ut ſcripſit Antiphon in libro περὶ τȣ βίȣ τῶν ἐν ἀρετῇ πρωτευσάντων ideſt de vita eorum, qui virtute præſtiterunt. Acceſſit diſcendi gratia Pithagoras

ras ad Ægyptios, & Arabes, & Chaldeos poſtquam e Syria quæ eſt, & nominantur Judęa Pherecidem ſibi magiſtrum, & prędeptorem nactus fuiſſet. Videat. Euſebius lib. 11. prędarat. Evangelicę. Eumdem quoque Pithagoram ab exteris nationibus in Italiam, quę magna Gręcia dicebatur multarum rerum cognitionem pertuliſſe, unde Philoſophia Italica nomen ab illo acciperet teſtis eſt Numenius Pithagoricus in 1. volumine de bono.

VI. Cum autem antiqui Hebręorum ſapientes quibusdam ſymbolis, atque allegorijs divina myſteria velarent, ne ab indignis cœleſtia tractarentur, & dogmata altiſſima ab ore vulgi prolata vileſcerent, & prophanarentur, quod etiam Prophetis ſolemne fuit, omnibuſque ſacrorum librorum auctoribus, quorum ſcripta ſunt allegorijs referta, ut cum oculi, manus, cęteraque membra Deo, qui ſimpliciſſimus eſt tribuuntur, cum de dextera, aut de ſiniſtra ſermo habetur, quarum prima benignitatem, & clementiam, altera juſtitiam, ſeveritatem, atq; rigorem indicat. Cum prenunciatur Virga egreſſura de radice Jeſſe, & flos de eadem radice aſcenſurus prędicitur, quod quidem vaticinium ad puriſſimam Virginem Mariam pertinet, ex cujus Virginali Utero prodijt nativitate temporali ad redimendum genus humanum Jeſus Chriſtus, ęterna nativitate Dei filius. Cum denique de Agno dominatore terrę mentio habetur, & multa alia divina

myſteria, que erant in beata temporum plenitudine revelanda varijs umbris velata à Prophetis, & Patribus ſcriberentur. Didicerunt etiam antiqui Philoſophi, & prę ceteris Pithagoras altiora Doctrinę dogmata ſub quibusdam ęnigmatibus tradere. Nam, ut omittam naturales diſciplinas, quas demonſtrationibus expoſuit, ut facilius a diſcipulis retinerentur, univerſam moralem Philoſophiam in tres partes diviſit, quarum prima Dei, Divinorumque cultum contineret; ſecunda ſingulorum hominum erga ſe ipſos reſpectum. Tertia mutuum hominum erga cęteros officium. Quoad primam attinet. Nihil eſſe gratum ſuperis docuit, quod non eſſet ſordibus plenè purgatum, omnibuſque imperfectionibus vacuum: unde crebrò illud adagium erat in ore. *Non eſſe libandum Dijs de vitibus non putatis*. Docebat etiam ſemel dicata Deo non debere amplius ad humanos uſus transferri, unde admonebat. *A gallo candido abſtineas*. Perſeverantiam, & circumſpectionem exiſtimabat à veris adoratoribus exhibendam, quare illud ſymbolum prolatum. *Sedere adoraturos*, & alterum, quod prudentiam in precibus fundendis indicabat, nempe; *Adora circumactus*. In ijs autem, quę homo erga ſe ipſum pręſtare debet, ut rectam vivendi normam ſervet, ut extrema veluti vitioſa fugiat, multa documenta hoc ſymbolo comprehendit. *Stateram ne tranſilias*. Moderamen in omnibus humanis actionibus adhi-
ben-

bendum etiam ſub ęnigmate expoſuit, cum dixit: *Salem apponito*. Sal enim eſt modeſtię nota, nec minus ab hominum convivijs quod ſalſiſſimum eſt, quam quod inſulſum eſt reſpuitur. Cum autem affectiones in nobis, paſſioneſque univerſæ quadam apparentia boni, aut mali moveantur, & præſentibus bonis lætemur, triſtemur malis, bona futura concupiſcamus, mala timeamus; Et gaudium, mœrorque elementa ſint paſſionum, ex quibus omnes animorum noſtrorum motus oriuntur, quorum rectitudo virtus, obliquitas vitium appellatur. Cumq; nobis aliquando appareant bona quæ mala ſunt, & mala judicentur bona, hunc errorem avertere ſtuduit Pithagoras, ſymbolicè admonens. *Per viam publicam ne ambules*, ideſt ne ſequaris errores vulgi. Cum autem alibi dixit. *Extra viam publicam ne vages*, inſinuare voluit illud non eſſe impugnandum, quod apud omnes in comperto eſt. Unde alterum ſymbolum *adverſus Solem ne loquaris*, ne videlicet incidas in pericula. Cum pariter monet acutum gladium declines, quod rectè fit, cum quis recta verecundia utitur in conſpectu omnium. Sublato igitur circa bonum, & malum errore, temperandum eſſe ſtatuit, voluptati, & mœrori, timori, & cupiditati. De mœrore ſic loquebatur *arctum annulum ne geſtato*, per quod excluſit cunctum animi dolorem niſi ſuper admiſſo peccato, quare ſæpius repetebat *mala ſi feceris, dole*. In cæteris idem Philoſo-

loſophus *cor non edendum mandavit*, ideſt ne nimium excruciemur, dixit etiam *Ollæ veſtigium in cinere confundito*; quod deſi[illegible]at ab ira deferveſcendum, & omninò à nobis præteritorum malorum, atque injuriarum tollendam eſſe memoriam. Contra cupiditatem verò ſic pronunciavit. *Quæ uncis ſunt unguibus ne nutrias*, ideſt ut rapaces manus fugiamus, nec homini avido, & avaro cupiditatis, & avaritiæ fomitem ſubminiſtremus. Admonuit etiam, ne de quotidiano victu homines ſolliciti ſint cum dixit: *Chænici ne inſideas*, quo nomine diurnum alimentum, quod à Veteribus ſportula, ab alijs præbenda dicebatur, voluit denotare. Quantum autem diſcipulos admonuerit ne minimum præberent avaritiæ ſignum, atque indicium, hoc ſymbolum exprimit, *quæ deciderint ne tollito*, per quod prohibuit, etiam ſuarum quemque rerum non decere ardentiorem eſſe amatorem. De timore ſcripſit *non reflectas ubi ad terminos perveneris*, quo ſymbolo docuit, nec mortem eſſe trepidandam, neque ea quæ à nobis minimè declinari poſſunt.

VII. Quod ſi tertiam partem Pithagoricæ doctrinæ conſideremus, in qua mutua officia continentur, in quibus homines ſe ad invicem debent exerceri, multa inveniemus ſymbola. Dixit itaq; Philoſophus, *ne guſtes ex ijs, quibus eſt nigra cauda*, qua allegoria ſignificavit falſos homines vitandos. Juſſit etiam, ut ab hominibus garrulis ſapientiæ ama-

amatores declinarent, unde illud extat Cohabitantes nobiſcum hirundines ne habeamus. Attamen amicus conſulto recipiendus eſt, receptus autem non facilè abijciendus, frangere enim amicitiam inhumanum reputabatur. Unde illud adagium: *panem ne frangito*. Neceſſe eſt autem ut ita velis amicus eſſe, ut amici omnia perinde cures, atque tua, & illi non blandis verbis, aut fuco ſermonum placeas, ſed ſtudio veri, ſedes enim amicitiæ veritas eſt, & non adulatio, quare ipſe dixit: *Oleo ſedem non abſtergas*. At quemadmodum conciliandus eſt bonorum animus, ſic non eſt commovenda malorum iracundia, quod admonet illud ſymbolum. *Ignem gladio ne fodito.* Eſt præterea Viri boni officium prodeſſe omnibus, nemini nocere, nam ſi vel moleſtiæ auctor, vel oneri imponendo ſocius acceſſeris, non profuiſſe quidem, ſed magis gravaſſe diceris, & tunc virtuti tuæ gratiam potius mereberis, cum onus deponenti ſuccurras, ut velocius levetur. Id eſt quod dixit Philoſophus: *onus ſimul deponere*. Oportet etiam homines ferocitatem deponere, ne videantur in innocentes deſævire. Hæc præcepit Pithagoras, cum ſymbolicè docuit *mitem arborem non violandam nec lędendam*, aut cum etiam protulit. *Piſces ne guſtato*. Cum piſcis animal tam miti natura ſit, ut numquam hominem lædat. Admonuit etiam diſcipulos ſuos Philoſophus legum obſervantiam, quæ amatores ſuos exaltat, & coronat,

ronat, & rem tanti momenti hoc adagio ſignificavit. *Coronam ne carpſeris*. Et ſimiliter. *In via ne ſeces ligna*, indicans non eſſe turbanda, quæ ad totam Communitatem attinent. Quod verò alienum ſit à ſapiente faſtus, & majeſtatis inflatio, & publici honoris tumor, hoc ſymbolum exprimit. *A Fabis abſtinendum*, Magiſtratus enim priſcorum more fabis eligebantur. Multa ego alia hujuſmodi ſymbola prætereo, in quibus exponendis ſedulam operam navarunt viri eruditi, & inter cæteros Lylius Gregorius Giraldus, Reuclinus, Paulus, Scaliger, & alij quamplures. Hæc ſi diligenter animadverteris, facilè intelliges ex ſacris fontibus illa manaſſe, atque à priſcis Hebræis veteres Philoſophos multa didiciſſe. At cum Hebræi ipſi à Patrum inſtitutis, & Divinæ ſapientiæ legibus receſſiſſent, nec conſtanter in animo retinuiſſent illa præcepta, quibus non tam rerum naturalium, quam ſupernaturalium notitia tradebatur, & præcipue de reparatione totius Orbis per Meſſiam obtinenda, nec ipſum venientem, & prædicantem recepiſſent jam in ſceleris pœnam miſerrima cœcitate percuſſi voluntariè aut ipſa dogmata tradita perdiderunt, aut pro libito adulterarunt, ne apud ſe integrum retinerent, in quo accuſarentur, & convincerentur. Verum quoniam jucundum eſt etiam ipſas vetuſtatis ruinas conſiderare, & ex fragmentis collapſi ædificij qualitatem deducere. Hujus ſcientiæ reliquias à mul-

multis collectas, ab alijs malè diſpoſitas, & multis erroribus permixtas, detracta hæreſis, & ſuperſtitionis ſorde ante oculos tuos pono, & quænam fuerint hujus ſcientiæ principia demoſtrabo, ſtatimque apparebit, & Pithagoram ab antiquis Hebræis, & recentiores Hebræos à Pithagora multa mutuaſſe.

(✠)(✠)
(✠)



Digitized by Google

DISSERTATIO DECIMANONA

QUid Pithagoras ab Hebræis, quid Hebræi recentiores a Pithagora deſumpſerint. Reductio rerum ſciendarum, ad denarium, denarij, ad tetractyn. Decem veterum ספירות *Sephiroth ſive prædicata, & eorum uſus. Quid Latini ab antiqua Hebræorum, & Philoſophorum methodo collegerint.*

I. SUpponendum eſt veteres Philoſophos, qui in Italica Pithagoræ ſchola ſeſe exercuerunt, res omnes, de quibus poterat inſtitui diſputatio in denarium numerum reduxiſſe, illumque ob arithmeticæ artis amorem tamquam ſymbolum fuiſſe retentum; erat enim numerus, qui diverſa, & quidem inter ſe pugnantia, quibus totum naturæ artificium explicatur, videbatur continere. Ut infinitum, & finitum, impar, & par; unum, & multa, dextrum, & ſiniſtrum, maſculinum, & fœmininum, quieſcens, & motum, rectum, & curvum, lucem, & tenebras, bonum, & malum, quadrum, & oblongum. Quoniam vero deprehenſum eſt denarium numerum,

qui

qui rerum univerſitatem deſignat ad tetractyn referri; atque in ea latere, ex quatuor enim formatur decas, ſi 1. 2. 3. 4. ponantur, & dicas unum, & duo tria, & tria ſex, & quatuor decem, ideo hunc numerum præ cæteris in honore habuerunt, deſignantur enim in eo quatuor Mundi cardines, quatuor elementa, quatuor qualitates, quatuor temperamenta, quatuor paſſiones, cupiditas, timor, gaudium, & triſtia, ſive amor, odium, delectatio, & dolor. Quatuor Virtutes Cardinales, prudentia, juſtitia, temperantia, & fortitudo. Item ea, quæ in omni ente juxta Philoſophos reperiuntur, eſſentia, exiſtentia, proprietas, & actus, ſive unum bonum; verum, & eſſentia. Quatuor inſuper deſignat cauſas, finalem, efficientem, formalem, & materialem. Denique quatuor ſpecies mutationum, generationem, & corruptionem reſpectu ſubſtantiæ, alterationem reſpectu qualitatis, augmentationem, ſive diminutionem reſpectu quantitatis. Quaternarium ergo numerum qui tetractys dicitur, perfectum appellarunt, eo quod contineat omnium numerorum formam, quæ eſt unum, materiam quæ ſunt duo, egreſſum binarij ad unitatem qui eſt tria, & denique operationem ex ipſis numeris reſultantem, quæ eſt quatuor. Item quia continet primum parem non compoſitum nempe duo, primum imparem incompoſitum, nempe tria, & denarium in pari compoſito nempe in quatuor. Unde hunc nu-


materiam, formam, proprietates eſſentiales, & proprietates accidentales. Quia vero quinque ſi per decem multiplicentur efficiunt quinquaginta, ideo quidquid in opere ſex dierum à Moyſe enumeratur, artificioſè in quinquaginta diſtributum eſt, quam quidem quinquagenariam diſtributionem quinquaginta intelligentiæ portas numerarunt, eo quod ex ipſis ad naturæ penetralia pateat aditus, & detur acceſſus, ut ex imis ad ſumma aſcendatur, nempe de mixtis ad ſimplicia, de ſimplicibus ad ſimpliciſſima, de cauſatis ad cauſas, de Terra ad Cœlum. In hac tamen diſtributione plerumque multi decipiuntur, eo quod ea, quæ literaliter nobis in ſacris literis ſunt propoſita, myſticè velint eſſe intelligenda, & exponenda. Ut cum per inane intelligunt materiam, per vacuum privationem, per abyſſum naturalem appetitum, per lucem formam ſubſtantialem, per dies accidentia, per noctes proprietates occultas, per veſper viam corruptionis, per mane viam generationis, per diem unum, compoſitum in lucem editum, per aquas ſuper firmamentum ſpecies rerum univerſales. Per firmamentum Orizon æternitatis, & temporis, per aquas ſub firmamento influentias Cœleſtium corporum, quæ quidem expoſitio admitti non poteſt, debet enim integer ſenſus literalis retineri, & omnis allegorica expoſitio illum debet veluti fundamentum ſuum venerari. Do tibi clariſſimum exemplum.

Hoc

Hoc nomen Jeruſalem literaliter ſumitur pro Urbe, tropologicè pro anima, anagogicè pro Cœlo. At quando Jeremias in ſuis threnis ait Jeruſalem convertere ad Dominum Deum tuum, hoc debeo de Urbe Jeruſalem intelligere, nec poſſum pro germana horum verborum expoſitione alios ſenſus adducere. Sed redeamus ad aliud artificium. Seriem rerum univerſi redegerunt Hebræi ad viginti duas literas Alphabeti, ut ex re unicuique obvia legenti facilior eorum, quæ in natura ſunt, & ex ipſis ad ea, quæ ſupra naturam ſunt haberetur inveſtigatio ſic ab א Aleph uſque ad י Jod Choros Angelorum poſuere, a כ Caph uſque ad צ Zade Cœlorum ordines a צ Zade uſque ad ת Tau omnia elementa cum ſua materia, & forma, & omnia elementata tam viventia, quam non viventia. Et denique in ת Tau hominem ipſum, qui Mundus parvus appellatur. Supradictum Alphabetum paulo poſt tibi exhibebo. Sed purgatum ab erroribus quibus ſcatet cum ab Hebræis diverſo modo Angelorum ordines dividantur, ab eo quem Catholicè cum antiquis Patribus, & præcipuè cum Dionyſio Areopagita tenemus. Quia ergo viginti duobus decem conſiderationes addunt fiunt triginta tuo, quem numerum ſemitas intelligentiæ appellant. Ego tamen miror cur doctiſſimorum hominum ingenia ſeſe occupaverint in expoſitione harum ſemitarum, prout afferuntur, nihil enim ex ipſa erui poteſt cum ſit obſcu-

ſcuriſſima, nec ſolido videatur niti fundamento.

III. Quoniam autem ſupra dictum eſt in denario, & ejus medietate, omnia veteres collocaſſe, & ad tetractyn denarium ipſum reduxiſſe, non ſupervacaneum duco, brevem eorum, quæ indicata ſunt afferre demonſtrationem. Ducatur ſphæra plana, ſive circulus decem figurarum numeralium ſuper centrum, quod ſit quinque, eſt enim medium denarij, & in ejus circumferentia numeri ſinguli deſcribantur, tranſeatque diameter à minimo ad maximum, hoc eſt ab uno ad novem, cujus diviſio duos ſemicirculos efficiet à parte ſi quidem dextra poſt unum ponantur duo, tria, quatuor, quinque, à parte autem ſiniſtra ponantur poſt ſex, ſeptem, octo, & novem, & trahantur lineæ per centrum a duobus ad octo, a tribus ad ſeptem, a quatuor ad ſex, ab uno ad novem. Videbis omnem numerum cum ſibi oppoſito decem conſtituere. Deinde ſi maximo ſubtraxeris id in quo abundat ſuper quinque, qui numerus eſt medietas denarij cum oppoſito ſtatim quinque efficiet. Quinarius ergo numerus dicitur ſphæricus, quia omnes ad illum rediguntur.



IV.

IV. Hac ergo de cauſa in quinque claſſes, ut ſupra dictum eſt omnia redegerunt, & ſic ad quinque redacta, decem conſiderationes habere docuerunt. At quemadmodum hoc artificio ad differendum de rebus naturalibus uſi ſunt, ita etiam ut ad ſupernaturalia gradum facerent aliam denarij diſtributionem aſſignarunt, nempe per decem numerationes, ſive ſephirot, ſive prædicata, quæ eſſent veluti repoſitoria ſpiritualium conceptum, & quorum ſubſidio antiqui expoſitores facilius intelligerentur.

Sephirat I.

III. כתר Keter Corona II.

בנה Bina Prudentia, Intellectus, Conciliatrix, Cognitio.	חכמה Cohcma Sapientia
V. גבורה Geburà Juſtitia, Severitas, Rigor.	IV. גדולה Gedulah, ſive Cheſed חסד Benignitas, Magnitudo, Miſericordia, Clementia.
VII. נסח Neſach Fortitudo, Victoria, Virtus, Æternitas, Superatio	VI. תפארת Tiphereth Pulchritudo
IX. יסוד Jeſod Fundamentum	VIII. הוד Hod Gloria, Cōfeſſio, Laudis

X.

מלכות Malcuth Regnum V.

V. Tres primæ numerationes, ſupremæ ab antiquis vocantur, & quæ ſolum adhibeantur ad ſupercœleſtium rerum expoſitionem, reliquæ verò ſeptem non tam ad ſacrarum, quam naturalium rerum notitiam uſurpari ſolent. Poſui ante oculos veterem denarij partitionem, & ideò libenter poſui, quia de ea plerumque mentio habetur apud Sanctos Patres in allegoricis expoſitionibus; Ut videre eſt apud Auguſtinum, Hieronymum, Bedam, Gregorium, pluribus in locis, ſed præcipuè 9. Moral. cap. 2., & alios, quinimo etiam in hymnis Eccleſiaſticis, ut eſt ille, qui in quadrageſima canitur.

Ex more docti myſtico
Servemus hoc jejunium
Deno dierum circulo
Ducto quater notiſſimo.

VI. Latini recentiores, qui veteres Judæos, ac Græcos imitari voluerunt, cum latinum Alphabetum nimis ſterile ſit, & nullam ejus literæ ſignificationem habeant, ſed ſint veluti muta elementa, aliam, ut de propoſitis rebus differerent, viam ſibi ineundam putarunt, nempe non in denario, ſed in novenario numero, ponendo videlicet novem ſubiecta uſque ad I. per Alphabetum diſtributa, ut A. Deus. B. Angelus. C. Cœlum. D. Homo. E. Anima rationalis. F. Anima ſenſitiva. G. Anima vegetativa. H. Corpora ſilentia. I. Elementa,

Ee hæc

hæc ſubiectorum diviſio, in qua ponitur prius homo, deinde anima rationalis nimis ſpeculativa videtur, & abſtracta, quicumque enim de homine agit, de eo quod eſt in eo præſtantius, & excellentius agere debet, atque adeo de anima ipſa, putarem ergo variandum eſſe hujuſmodi Alphabetum, ut clariora pateant loca ſeſe in rebus tam divinis, quam naturalibus exercere volentibus. In prima ergo litera A. Divina Myſteria Unitatis, Trinitatis, & Incarnationis reponenda curarem, diſpoſitionemque ipſam utiliorem redderem ſtudentium memoriæ hoc modo.

VII. A. Deus unus, & Trinus. Chriſtus, & Deipara. B. Angelus. C. Sancti omnes. D. Cœlum. E. Homo. F. Animalia. G. Plantæ. H. Corpora ſilentia, ſive jacentia. I. Elementa. Novem quoque quæſtiones de omnibus rebus, quæ ſunt in ordine naturæ collocatæ fieri poſſe auctores docuerunt. Videlicet A. an ſit. B. quid ſit. C. quotuplex ſit. D. de quo ſit. E. a quo ſit. F. ſecundum quid ſit. G. cujus ſit. H. propter quid ſit. I. quare ſit. In quibus quæſtionibus manifeſtum eſt, & de exiſtentia. A. & de eſſentia. B. & de diviſione. C. de compoſitione. D. de principijs. E. de dominio. F. de ſimilitudine, ſive proportione. G. de ultimo fine. H. de fine particulari. I. ſecundum quem aliquid actum eſt diligenter pertractari quas quæſtiones certiſſimum eſt ad res ſupercœleſtes,

ſtes, & divinas adhiberi non poſſe, cum ſint materiæ, atque compoſitionis expertes, atque ſimpliciſſimæ, & æternæ. De Deo juxta harum quæſtionum ſeriem ſolum poſſumus, ut de facto ſolent Theologi inquirere, an ſit.

VIII. Venio jam ad prædicata, quæ pariter in novenarium numerum redegerunt, nempe A. Bonitas. B. Magnitudo. C. Duratio. D. Poteſtas. E. Cognitio. F. Voluntas, ſive appetitus. G. Virtus. H. Veritas. I. Gloria. Item prædicamenta. A. Quantitas. B. Relatio. C. Actio. D. Paſſio. E. Ubi. F. Quando. G. Situs. H. Habitus. I. Qualitas. Et demum novem comparationes. Nempe A. Differentia. B. Concordantia. C. Contrarietas. D. Principium. E. Medium. F. Finis. G. Majoritas. H. Minoritas. I. Æqualitas. Hæc ut optimè advertere poteris magis ad exercenda Rhetorum ingenia, quam ad aperiendum ad ſacras literas aditum deſerviunt, quæ ideo à me adducta ſunt, ne aliquid viderer prætermittere eorum qui de hac materia conſcripſere. Inter recentiores autem, qui ad humana, divinaque ſtudia facilem viam aperuerint, non minimum locum ſibi certè vendicat P. Alexander Fichet Societatis Jeſu Theologus Vir certe in omni ſcriptorum genere verſatus, qui anno 1649. Typis mandavit librum, cui titulus. Arcana ſtudiorum methodus, qui quidem antea impreſſus Lugduni apud Guillelmum Barbier, ite-

rum eſt ad publicam utilitatem editus Lipſiæ, & Francofurti, & à Petro Lambecio ſuis ſcriptis inſertus, videlicet in Prodromo hiſtoriæ literariæ. In citato autem Ficheti opere varia axiomata traduntur de modo, & ordine, qui in divinis, humaniſq; ſtudijs debet obſervari; deinde univerſalia quædam loca, quibus tam in humanis, quam in divinis inſtituitur diſputatio, ac demum authores, qui ſingula loca ſuis ſcriptis illuſtrarunt, & explicarunt. Ego omnia tibi in praxi indicabo.. Et quoniam ſcriba doctus ſimilis eſt Patri familias qui profert de theſauro ſua nova, & vetera; nova & vetera proferemus; & quemadmodum arma ab hoſtibus capta, apud Sacerdotes aliquando reponebantur, ut viva ſemper triumphi memoria victimę Deo exercituum offerrentur. Quemadmodum è mulierum ſpeculis vaſa templi miniſterio formata ſunt. Quemadmodum delubra gentilium, idolorumque aræ proſtratæ materiam ſubminiſtrant, qua Deo vera templa erigantur. Et antiquum illud Gentilium Deorum templum, ad Chriſtianæ pietatis uſum redactum, fidelium devotioni deſervit. Ita nos ſi quid ex antiquorum fragmentis ad ſacrorum ſtudiorum uſum afferemus, illud erit ab omni errore depuratum, & uſu veterum Eccleſiæ Patrum ſanctificatum. Accedamus ergo ad praxim.

(*) (*) (*)

DIS-

DISSERTATIO VIGESIMA

Praxis, qua depurata ab erroribus methodo veterum aperitur aditus ad ſtudia ſacra, & humana.

I. QUi rerum peregrinarum ſtudio tenentur, continuo labore, ac diligentia peregrinis etiam linguis, quibus earum rerum, quas ſcire cupiunt cognitio continetur, & quibus eæ primum pertractatæ fuere ſedulam debet operam navare. Inter eas autem diſciplinas, quæ omni hominum generi utiles, ac neceſſariæ ſunt, & quæ ideo ab omnibus diſci debent, nulla eſt, quæ cum Sacræ, ac Divinæ Scripturæ dignitate, ac præſtantia conferri, aut comparari poſſit. Oportet ergo eum, qui ſacratiſſimæ hujus ſcientię ſtudio tenetur ea ſibi adiumenta comparare, quibus ad ejus ſacraria facilem, brevem, atque expeditam viam ſibi patefaciat. Nihil vero eſt, quod ad eam rem faciliorem aditum parare poſſit, quam earum linguarum cognitio, quibus ſacri

libri

libri Spiritu Sancto auctore fuerunt conſcripti. Quamvis enim ſummo labore, ac ſtudio veterum Patrum ipſæ divinæ Scripturæ ad latinum Idioma translatæ ſint, & eorum diligentia omnem nobis laborem abſtulerit, tamen jucundiſſimum eſt ipſos ſacros fontes adire, & aut in Hebraica, aut Syriaca, aut Græca lectione commorari; præcipuè quia Hebraica, & Chaldaica verba, multos aliquando ſenſus habere poſſunt, & translatores illum elegerint, qui præ cæteris magis conſentaneus videbatur; Exemplum habemus in verbo דבר qui ob punctorum diverſitatem diverſa ſignificat. Si enim ſcribatur דִּבֵּר idem eſt ac locutus eſt. Si דָּבָר eſt verbum, ſermo, negocium, res, aliquid. Si דְּבַר eſt pariter verbum. Si דֶּבֶר eſt peſtis, mors, exterminium. Qui ergo in cap. 3. Abacuc legit in noſtra Vulgata. Ante faciem ejus ibit mors, & apud Septuaginta ante faciem ejus ibit verbum, & in textu Hebraico ante faciem ejus ibit peſtis. Si præditus eſt cognitione linguarum, & præcipuè Hebraicæ animadvertit non abſque ſumma animi voluptate, unde hæc apud Translatores varietas, & quam aptè nomen, quod ſine punctis ad multa ſignificanda erat indifferens, potius uſurpetur ad unum, quam ad alterum. Prætereo maximos fructus ſcientiæ, quos illi capiunt, qui in orientalium linguarum ſtudio proficiunt: Ego tamen non dubito unamquamque linguam omnem hominis diligentiam, & totam ejus

vitam

vitam requirere, atque adeò impoſſibile ferè exiſtimo, ut qui divinarum ſcientiarum ſtudio ſunt occupati, omnes orientales linguas perfectè addiſcant. Satis erit, ſi ad eam notitiam pervenerint, qua verborum radices, & affixa, & præfixa poſſint invenire, ut Lexicorum ſubſidio nominum, verborumq; ſignificationem attingant. Jucundum igitur erit ad earum linguarum ſtudium facilius promovendum, ad Alphabeta Hebraica, Syriaca, Arabica, Græca ſupputationes varias librorum Sacræ Scripturæ reducere. Ait enim D. Hieronymus in prologo Galeato, & ex eo Sixtus Senenſis Bibliotheca Sanctæ libro primo, quod ea volumina, quę apud Hæbræos in auctoritate habentur, triplici numerorum varietate ſoleant ſupputari. Quidàm, ut Joſephus, & Philo, numerum librorum à literarum numero repetunt, ut quemadmodum ſunt apud Hæbræos duæ & viginti literæ, quibus omnia comprehenduntur, quæ dici, aut ſcribi poſſunt, ita viginti duo volumina ſint quibus contineantur omnia, quæ de divinis rebus enunciari queant. Quam enumerationem ſunt amplexati inter Chriſtianos, Origenes Epiphanius, Gregorius Theologus, Hieronymus, & Ruffinus. Alij ex Judæis, inter quos Aben Ezra, & David Kimchi viginti quatuor libros veteris teſtamenti recenſent juxta eumdem literarum numerum, ter tamen repetita litera Jod in honorem divini Nominis. Solent enim Judæi nomen illud יהוה

quadri-

quadrilaterum, quod apud ipſos repetere non licet propter Dei reverentiam, triplicata litera Jod, Chaldaico more hoc modo conſcribere יי׳ quam quidem partitionem aliqui ex veteribus Græcis ſunt imitati, eo quod numero viginti quatuor literarum Græci alphabeti conveniret; & eſſet veluti ſymbolum viginti quatuor ſeniorum, quos Joannes vidit in ſpiritu adorantes agnum, cui datum eſt aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus. Denique alij Hebræorum viginti ſeptem libros veteris teſtamenti numerarunt ob viginti duas literas Hebraici alphabeti, & quinque finales, quæ diverſo modo ſcribi ſolent. Horum trium ſupputationum exempla afferemus, & quia Syriacum alphabetum, literarum numero, ac ſignificatione Hebraico reſpondet, utrumque ad exemplum primæ ſupputationis adhibebimus.

Supputatio prima in libros viginti duos juxta numerum Hebraicarum Literarum.

S	:um	Compoſitū	Simplex	
1 Aleph	*hac*	ܐܠܦ	ܐ	Aleph
2 Beth	*lib.*	ܒܝܬ	ܒ	Beth
3 Ghimel	*uch,* *fici,*	ܓܡܠ	ܓ	Gomal
4 Daleth	*qui-*	ܕܠܬ	ܕ	Dolath
5 He	*one* *rti-*	ܗܐ	ܗ	He
6 Vau	*mo-*	ܘܘ	ܘ	Vau
7 Zain	*ent* *ca-*	ܙܝܢ	ܙ	Zain
8 Chet	*nci-*	ܚܝܬ	ܚ	Hheth
9 Teth	*ab* *ut*	ܛܝܬ	ܛ	Tteth
10 Jod	*ny-*	ܝܘܕ	ܝ	Jud
11 Caph	*to,*	ܟܦ	ܟ	Kof
12 Lamed	*cilij*	ܠܡܕ	ܠ	Lomad
13 Mim		ܡܝܡ	ܡ	Mim
14 Nun		ܢܘܢ	ܢ	Nun
15 Samech		ܣܡܟܬ	ܣ	Semkath
16 Ain		ܥܐ	ܥ	Ee
17 Pe		ܦܐ	ܦ	Fe
18 Zade		ܨܕܐ	ܨ	Ssode
19 Coph		ܩܘܦ	ܩ	Qof
20 Res		ܪܝܫ	ܪ	Riſc
21 Scin		ܫܝܢ	ܫ	Scin
22 Tau		ܬܘ	ܬ	Tau

Digitized by Google

Supputatio librorum novi Teſtamenti eidem Supputationi ſecundæ reſpondens.

Α Evangelium ſecundum Matthæum
Β Secundum Marcum
Γ Secundum Lucam
Δ Secundum Joannem
Ε Acta Apoſtolorum
Ζ Pauli Epiſtola ad Romanos
Η Ad Corinthios 1. & 2.
Θ Ad Galatas
Ι Ad Epheſios
Κ Ad Philippenſes
Λ Ad Coloſſenſes
Μ Ad Teſſalonicenſes 1. & 2.
Ν Ad Timotheum 1. & 2.
Ξ Ad Titum
Ο Ad Philemonem
Π Ad Hebræos
Ρ Jacobi Epiſtola
Σ Petri Epiſtola 1. & 2.
Τ Joannis Epiſtola 1. & 2.
Υ Judæ Epiſtola
Φ Apocalipſis
Χ Et libri, qui bibliis inſeruntur, quia ab Antiquis citabantur, ſunt tamen extra feriem librorum Canonicorum, nempe Oratio Manaſſe
Ψ Eſdræ liber tertius
Ω Eſdræ liber quartus

Digitized by Google

Digitized by Google

Sy

Digitized by Google

1	اليف	ا
2	با	ب
3	تا	ت
4	ثا	ث
5	جيم	ج
6	حا	ح
7	خا	خ
8	دل	د
9	ذل	
10	را	ر
11	زاين	
12	سين	س
13	شين	ش
14	صاد	ص
15	ضاد	ض
16	طا	ط
17	ظا	ظ
18	عين	ع
19	غين	غ
20	فا	ف
21	قاف	ق
22	كاف	ك
23	لم	ل
24	ميم	م
25	نون	ن
26	ها	ه
27	واو	و
28	يا	ي
29	لام	لا

Digitized by Google

II. D. Hieronymus in Epiſtola ad Paulam Urbicam, & in præfatione Commentariorum in Trenos, ad laudem Scripturarum Divinarum, ac legis, ipſis literarum ſymbolis utitur poſtquam enim expreſſa à nobis ſymbola adduxiſſet, ait poſt interpretationem elementorum intelligentiæ ordo dicendus eſt, fiunt enim ex his literis ſeptem connexiones, quarum prima eſt Aleph, Beth, Ghimel, Daleth. Doctrina, domus, plenitudo tabularum, quod videlicet doctrina Eccleſiæ, quæ domus Dei eſt in librorum reperiatur plenitudine divinorum. Secunda connexio eſt He, Vau, Zain, Heth. Iſta & hæc vita, quæ enim alia poteſt eſſe vita ſine ſcientia ſcripturarum, per quam etiam ipſe Chriſtus agnoſcitur, qui eſt vita credentium? Tertia connexio habet, Teth, Jod, bonum, principium quia quamvis nunc ſciamus univerſa, quæ ſcripta ſunt, tamen ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Et nunc per ſpeculum in ænigmate videmus, cum autem meruerimus eſſe cum Chriſto, & ſimiles Angelis fuerimus, tunc librorum Doctrina ceſſabit, & tunc videbimus facie ad faciem bonum principium ſicuti eſt. Quarta connexio eſt Caph, Lamed manus diſciplinæ, ſive cordis. Manus intelliguntur in opere, cor, & diſciplina intelliguntur in ſenſu, quia nihil facere poſſumus, niſi prius quæ facienda ſunt, ſcierimus. Quinta connexio eſt Mem, Nun, Samech, ex ipſis ſempiternum adiutorium. Hoc ex-

Digitized by Google

planatione non indiget, ſed omni luce manifeſtius eſt ex ſcripturis in æterna ſubſidia miniſtrari. Sexta connexio habet Hain, Pe, Zadi, fons, ſive oculus, oris juſtitiæ. Sciendum illud, quod in quarto numero expoſuimus. Septima connexio eſt, quæ & extrema, quæ & in ipſo ſeptenario numero fit myſticus intellectus, Coph, Reſc, Scin, Tau, vocatio capitis, dentium ſigna. Per dentes articulata vox promitur, & in his ſignis ad caput omnium, qui eſt Chriſtus pervenitur, per quem venitur ad regnum ſempiternum. Hæc D. Hieronymus. Videatur Sixtus Senenſ. Biblioth. Sanctæ lib. 3. pag. mihi 269. Qui cum laudet hanc ſymbolicam expoſitionem, prout à Sanctis Doctoribus adhibita fuit ſic concludit. Verum ut eos non damno, qui moderatè, & aptè hæc ſuis locis interdum accomodant, ita eos non laudo, qui hæc nimis anxiè, & inutili, ac prorſus inani labore proſequuntur, cum me non prætereat ex hoc fonte emanaſſe prodigioſam Valentinorum, & Gnoſticorum inſaniam, qui ut Irenæus, & Epiphanius uterque in primo adverſus hæreſes libro oſtendunt, omnem divinam ſcripturam juxta hanc elementorum diſcuſſionem examinantes inaudita novarum hæreſum portenta invulgarunt.

III. Non ſunt igitur hæc ſymbola temerè ad omnem expoſitionem adhibenda, ſed ab ijs interdum, qui plurimum in lectione, atque expoſitione divi-

na-

narum literarum ſe exercuerunt, uſurpari poſſunt; ut fiant veluti localis memoria eorum, quæ exponuntur; adducam tibi exemplum ex pſalmo 1. in quo nobis occurrit primum nomen אשרי Beatitudines, vel adiectivè beatus. Si quæras quomodo homo poſſit eſſe in terris felix, & beatus, per literarum ſymbola tibi reſpondebo. Aleph ſignificat inſtitutio, & dico divina inſtitutione. Unde ait pſal. 93. Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Altera litera eſt ש Scin, quæ ignem denotat. Unde concludo, quod homo reddatur felix, ſi ardeat amore divino. Hunc ignem venit Chriſtus mittere in terram; Et quia per amorem in rem amatam transformamur, quemadmodum amando Mundum, ut inquit Auguſtinus, efficimur Mundus, ita amando Deum efficimur Dij. In hoc autem magna eſt felicitas. Amando etiam efficimur Divinarum Perſonarum Templum. Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Tertia litera eſt ר Reſc, quæ ſignificat egeſtatem. Explicare igitur poſſumus, hominem rerum caducarum contemptu, & voluntaria paupertate fieri poſſe felicem. Unde cum Petrus dixiſſet ad Jeſum, ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, ei & cæteris reſponſum eſt: amen dico vobis, quod vos, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, centuplum accipietis, & vitam

Digitized by Google

æternam poſſidebitis. Ultima denique litera eſt. ' Jod quieſcens, & quia Jod ſignificat confeſſionem laudis, affirmare poſſumus, hominem laudando toto corde Deum eſſe felicem, ac beatum, quia nimirum eſt æmulator Sanctorum Civium, & Angelorum, qui in ſempiternis laudibus Dei ſe exercent. Beati qui habitant in domo tua Domine in ſęcula ſęculorum laudabunt te. Vide quam amplam materiam dicendi hæc ſymbola ſubminiſtrent ijs, qui ſacros ſcripturarum fontes deguſtarunt. Hunc autem explanationis modum tentare non debent ij, qui ſcripturarum Divinarum notitia ſunt deſtituti. Non enim in cortice literarum, ſed in ſapientia Eccleſiæ ſuæ dilectiſſimæ ſponſę Divinum Verbum ſcripturarum ſuarum, & interpretatione repoſuit.

IV. Sed quoniam ſupra meminimus, omnia veteres ad denarium numerum reduxiſſe, cujus baſis eſt Quinarius afferemus hìc Hebraicum alphabetum, in quo omnia diſpoſita, & locata ſunt, quæ ad myſticum quinarium pertinent, vel enim ſunt elementa, vel elementata, vel corpora cœleſtia, vel ſpiritus, vel res ſupercœleſtes. In fine iſtius Alphabeti, nempè in litera ת ponitur homo, qui eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, & habet intelligere, & velle cum Angelis, ſentire cum animalibus, vegetare cum plantis, eſſe cum jacentibus corporibus, atque adeò eſt veluti ſymbolum quinarij. Hìc tamen animadvertendum eſt, diſtributionem

nem Hebræorum in dicto alphabeto non eſſe tenendam à nobis, cum multi in ea errores deprehendantur præcipuè de præexiſtentia animarum, & claſſes Angelorum ineptè dividantur, quod quidem neneſſariò præmittendum duxi, ut qui viderint alio modo à nobis Cœleſtium ſpirituum claſſes diſtributas, & cognoverint alphabetum mutatum, ſtatim intelligant hoc non abſque catholico fundamento factum fuiſſe.

V. Ille igitur ordo, quem Judæi inter Angelos conſtituunt eſt nimis inordinatus, & ineptus, nam illi decem Angelorum Choros aſſignant. Primus nobis propinquior ab eis appellatur אישים Iſcim hoc eſt viri, eo quod aſſerant eos nobiſcum nimia familiaritate conjungi. Secundus מלאכים Malachim, hoc eſt nuncij. Tertius אופנים Ophanim, ideſt rotæ. Quartus חיות הקודש Chaiot Hacodeſc animalia ſanctitatis. Quintus כרובים Cherubim, hoc eſt pueri. Sextus שרפים Seraphim, hoc eſt igniti. Septimus חשמל Chaſmal, ideſt electrum. Octavus אראלים Arelim, ſive prævalidi, aut fortiſſimi. Nonus בני אלהים Bene Eloim, Fiiij Dei. Decimus tandem שאננים Sciananim ideſt pacatiſſimi.

VI. Nos verò catholicè tres ſacros in Angelis ordines aſſignamus, quos D. Dionyſius cap. 6. Cœleſtis Hierarchię Gręce ἱεραρχίαν appellat D. Thomas pr. parte quęſt. 108. art. 1. eos deducit ex triplici modo quo divinam gubernationem, & illumi-

natio-

nationem recipiunt. Nam ſuperiores Angeli univerſalius lumen percipiunt, quam inferiores. Rationes enim rerum; quibus Angeli illuminantur, vel conſiderari poſſunt ut procedunt à primo principio univerſali hoc eſt à Deo, & hic modus primę hierarchię videtur convenire. Vel prout dependent à cauſis univerſalibus creatis,& hic modus convenit ſecundę. Vel prout applicantur ſingulis rebus ſecundum quod à proprijs cauſis dependent, & hic modus convenit infimę. Hinc fit, ut ſupremę hierarchię Angeli Divinę providentię rationes cognoſcant in univerſaliſſima cauſa quæ eſt divina ipſa voluntas. Angeli mediæ hierarchiæ in principijs univerſalibus; Angeli denique infimæ in particularibus cauſis. Sic Pauli Apoſtoli ſalutem v.g. Angeli primæ hierarchiæ in voluntate Dei cognoverunt; ſecundæ in paſſione Chriſti. Tertiæ in martyrio ipſius Apoſtoli.

VII. D. Dionyſius Areopagita cap. 7. lib. jam citati, a triplici ordine agendi, triplicem hierarchię numerum deſumit; alij enim purgantur, alij purgant, alij illuminantur, alij illuminant, alij perficiuntur, & alij perficiunt. Prima hierarchia à ſolo Deo purgatur, illuminatur, & perficitur, & ſecundam purgat, illuminat, & perficit: ſecunda verò purgat, illuminat, & perficit tertiam. Tertia verò nullam aliam hierarchiam purgat, illuminat, ac perficit, niſi humanam. Hæ tres hierarchię in novem

vem Choros dividuntur, itaut in unaquaque earum tres Chori contineantur. In ſuprema continentur Seraphim, Cherubim, Throni. In media Dominationes, Virtutes, Poteſtates. In infima Principatus, Archangeli, Angeli. Tres ſupremę hierarchię Chori ideò ita conſtituuntur, quia tribus modis Deum reſpiciunt; vel enim per viviſſimum, & ardentiſſimum amorem Deo uniuntur; & ob hunc charitatis Divinę exceſſum, & incendium שרפים Seraphim vocantur. Vel Deum reſpiciunt, qui profunda ſua Myſteria eis revelat, qua revelatione perfectiſſimam ſcientiam adipiſcuntur. Undè כרובים Cherubim nomen deductum eſt, quaſi à Cherab, quod idem eſt, ac ſicut magiſter, vel quaſi à Cheroub, quod idem eſt ac ſecundum multitudinem, hoc eſt multitudinem ſcientię. Vel ita Deum reſipiciunt, ut immediatè rerum rationes in ipſo cognoſcant, & ſint veluti ſedes, in quibus divinę illuminationes conquieſcant, & Throni appellantur. Ad ſecundam hierarchiam, Dominationes, Virtutes, & Poteſtates referuntur, nam aliqui cœleſtes hujus ordinis ſpiritus, quia rebus creatis præſunt, & univerſalem diſpoſitionem agendarum rerum deſignant Dominationes vocantur. Virtutum eſt illas exequi. Poteſtatum verò omnia impedimenta arcere. Ad tertiam hierarchiam ſpectant Principatus, Archangeli, Angeli. Qui videlicet Divinæ providentię leges exequuntur. Principatus, Impo-

ria,

ria, Regna, Provincias, Nationeſque gubernant, Archangeli publicarum Perſonarum curas gerunt, Angeli particulares perſonas dirigunt, & cuſtodiunt. Hęc ideò pręmiſimus, ut deſignandi alphabeti ratio haberi poſſit, & circa Angelorum claſſes ea doctrina percipiatur, quam Sancti Eccleſię Catholicę magiſtri nobis tradiderunt, relictis Judęorum expoſitionibus, & figmentis, qui non ſolum, ut ſupra demonſtratum eſt hierarchias ineptè aſſignant, ſed multa etiam Angelorum nomina recenſent, quæ in Sacra Scriptura non reperiuntur, nec à Catholica Eccleſia, ut vera Angelorum nomina recipiuntur. Sed veniamus jam ad alphabetum. Et quoniam Aleph eſt nota ſublimium rerum, in primi alphabeti litera, res ſublimes, atque altiſſimas collocabimus, deinde ſervato ordine, creationis ſeriem proſequemur a ב Beth uſque ad ת Tau.

א Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Verbum caro factum, Virgo Maria ex qua carnem ſumpſit.
ב Seraphim
ג Cherubim
ד Throni
ה Dominationes
ו Virtutes
ז Poteſtates
ח Principatus

ט Ar-

ט Archangeli
י Angeli
כ Chorus Sanctorum. Empireum Cœlum
ך Primum mobile
ל Sphæra Zodiaci
מ Sphæra Jovis
נ Sphæra Martis
ן Sphæra Veneris
ס Sphæra Mercurij
פ Sphæra Lunæ
ף Materia Cœlorum
צ Materia Elementorum, omniumq; mixtorum
ץ Elementorum formæ
ק Inanimata, Mineralia, Elementata, & mixta
ר Vegetantia fructus, & fruges, ac omnia terræ naſcentia
ש Omnia ſenſitiva terræ, aquæ, & aeris
ת Homo omnium Creaturarum compendium, & perfectio.

VIII. Si cui diſplicet adducta ſphærarum diviſio, illam ſequatur, quæ ſibi magis placuerit. Noſtrum non eſt in illa ſcientia commorari, neque cum Aſtrologis diſputare.

IX. Quia ergo ad viginti duas Alphabeti literas ſolebant Antiqui redigere ea omnia, de quibus haberi poterat cognitio, aut inſtitui diſputatio, & quia de ſepheris aliquid expoſuimus, nunc eorum uſum ad meliorem, & fortaſſe faciliorem formam

tranſlatum tibi exhibeo. Incipiamus ab ijs quæ in א deſignantur primo loco Deum reperies, de quo cum innumera ferè à ſacris, humanisque auctoribus tractari queant, memoriam adiuvabit uſus ſephirarum. Prima eſt.

X. כתר Keter, ſive corona ſumma. Hic agendum eſt de Dei exiſtentia, eſſentia, infinitate, unitate, vita, ſimplicitate, immenſitate. Vide opera Clementis Alexandrini. Vide Euſebium in demonſtratione, & præparatione Evangelica. Petavium Theologicorum Dogmatum tom. 1. & ſeqq; Thomaſſinum de Deo. Duamel in Theolog. fundament. Gisbertum Societatis Jesu, Organum novæ Theologiæ cum Hiſtoria Eccleſiaſtica Sociatæ, ubi latè de Divina exiſtentia contra Atheos, de Unitate contra Politheiſmum in Genere, deinde contra Politheiſmum Gentilium, & Hæreticorum. Vid. Tertullian. in Apologetico. Vide Athenagoram. Arnobium contra Gentes. Lactantium Divinarum Inſtit. Minutium felicem. Vide Danielem Huetium in ſuis Halnetanis quæſtionibus in Concordia rationis, & fidei. Petrum Gregorium in ſyntaxi artis mirabilis, & in ſyntagmate Juris univerſi. Vide Magiſtrum Sent. in 1., & ejus Expoſitores. Vide Scolaſticos Theologos in 1. par. D. Thomæ quæſt. 2. Vide Jodocum Coccium in Theſauro Catholico. Alphonſum de Caſtro adverſus Hæreſes. De Dei nominibus. Vide Galat. de Ar-

Arcanis. Petavium lib. 8. cap. 6. 7. 8. 9. Theolog. Dogm. Dionyſium cap. 1. Divinorum Nom. Eugubinum de perenni Philoſophia. Bartoloccium in Biblioth. Rab. De modis loquendi de Deo videndus S. Thomas in part. pr., atque Expoſitores Sacri.

XI. Ad חכמה Chocma, ſive ſapientiam. Hìc agere oportet de ſapientia attingente à fine ad finem fortiter, ſuaviterque omnia diſponente, quod ad providentiam ſpectat. Vide Dionyſium in Theologia myſtica. Syneſium de provident. Theodoretum libris 10. Salvianum libris 8. Boetium de Conſolat. Damaſcenum lib. 1. Theophilum Raynaudum in Theolog. Nat. Platonem. Senecam, alios ſupra citatos.

XII. Ad בינה Bina, ſcientiam, prudentiam, intellectum &c. Hìc de ſcientia, & præſcientia Dei eſt agendum, de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, de ſcientia viſionis, de ſcientia circa conditionata, de Divinis Decretis, de intellectu, & voluntate. Vide Petavium. Thomaſinum, Gisbertum. Dionyſium de divinis nominibus. Auguſtinum 15. de Trinitate, & omnes auctores Scholaſticos, tam qui D. Thomam, quam qui Scotum, atque Henricum ſequuntur. De intellectu, & voluntate, de prædeſtinatione. Vide D. Fulgentium. Proſperum. Expoſitores etiam Pauli ad Rom. cap. 8. Vide Baſilium in Orat. quod Deus non eſt auctor peccati,

Ireneum lib. 1. cap. 76. Origeni ad caput 8. Epiſtolæ ad Rom. Vide Auguſtinum de prædeſt. item de correct. & grat. Proſperum de vocat. gentium. Magiſt. Sent. in 1. diſt. 35. & 40. D. Thomam 1. part. quæſt. 23. & 24. Petavium tom. 1. lib. 9. cap. 16. & Thomaſſinum in tom. 1. de Deo. De reprobatione. Vide Magiſt. in 1. diſt. 40. & 41., & auctores ſupra allegatos. Expoſitores etiam cap. 13. Oſeæ. Expoſitores item Exodi de indurat. Pharaonis Theodoretum, Origenem, Auguſtinum, Gregorium Magnum, Cornelium à Lapide, Æſtium, Menochium, Tirinum &c.

XIII. גדולה Gedulà. Hìc explicanda eſt benignitas, clementia, miſericordia, liberalitas. Vide hos titulos, & eos etiam bonitatis, & amoris, qui tibi in ſacris literis occurrent, & qui à doctiſſimis Viris exponuntur. Vide Pererium in Geneſim de beneficijs homini à Deo collatis in ejus creatione. Baſilium in Hexameron. Bernardum de ſeptem miſerat. Item agentes de Sacramento Altaris. Vide Salvianum 1. de Provident. Dei, Senecam lib. 3. de beneficijs.

XIV. גבורה Geburà juſtitia, ſeveritas, rigor. Vide celebriora Sacræ Scripturæ teſtimonia, verbo juſtitia, & eorum expoſitores. Vide Lactantium de vera juſtitia, Salvianum lib. 1. de providentia. Giſbertum Societ. Jeſu in Organo novæ Theologiæ. D. Auguſtinum de Trinit. D. Thomam pr.

part.

part. quæſt. 2 1. Dionyſium de Divinis nominibus. Hic agendum eſt de dominio Dei. Vide meas Diſſert. ad præcepta primæ tabulæ. Paulum Scaligerum in Epiſtemone ſacro tit. de juſtit. æterna.

XV. תפארת Tiphereth. Pulchritudo. Vid. Boetium de conſolatione. Vid. Eſther cap. 15. & ejus Expoſitores. Vid. Auguſt. in Confeſſion. Dionyſium 4. de Divinis nominibus. Auguſt. iterum in pſal. 44. Vid. Cant. Cant. cap. 1. & ejus Expoſitores. Hic etiam agendum eſt de divina Sanctitate. Vid. Expoſitores cap. 6. Iſaiæ. De lege æterna vide Diſſertat. meas ad præcepta primæ tabulæ. Vid. etiam Gisbertum in lib. ſup. cit. Item de veritate Dei exiſtentis. De veritate Dei loquentis in Patribus, & Prophetis. De ſumma Dei loquentis auctoritate. De exiſtentia Scripturarum, earum Divinitate. Vide eumdem Gisbertum Societ. Jeſu in lib. ſupra cit. Vid. Auguſtinum lib. de mendacio. Vide Caramuelem in lib. quarum titulus Critis, & Aplothes, adverſus reſtrictiones mentales. Vide Prolegomena Sacræ Scripturæ in Biblia maxima, & Duamel in Theologia fundamentali, de Apparitionibus, Prophetia, Miraculis, Revelationibus. Vid. meam Lucernam Propheticam, & Diſſert. ad præcepta primæ tabulæ. Vide Sebaſtianum Medices de mirabilibus Dei. Vide Præfationem ad revelationes D. Birgittæ Romæ editas &c.

XVI. נצח Neſach fortitudo, Virtus. Deus magnus

gnus Dominus, & laudabilis nimis terribilis eſt ſuper omnes Deos, pſal. 95. Vide hujus loci Expoſitores. Lorinum de Blanch. Juſtinianum. Ferrandum. Cornelium à Lapide, Tirinum &c. Vide Gisbertum lib. cit. Hic etiam agere oportet de idolorum vanitate. Vide Tertullianum in Apologetico, Voſſium de origine, ac progreſſu idololatriæ. Danielem Huetium in demonſtratione Evangelica, Saldenum de Dijs Syris. Lilium Gregorium Giraldum de Dijs Gentium; Samuelem Bochartum in primis capitulis geographiæ ſacræ. Vide Diſſertationes meas ad præcepta primæ tabulæ de origine, & progreſſu idololatriæ. De expugnatione hæreſum contra Deum. Vide Prateolum de vitis, & ſectis hæreticorum. Alphonſum de Caſtro adverſus hæreſes. Contra Mahomettiſmum. Vide Marraccium in textu Arabico Alcorani.

XVII. הוד Hod gloria, laus. De laudibus debitis Divinæ Majeſtati. Vide Expoſitores pſalmorum. Leges de Deo colendo, & amando, quæ habentur in Deuteronomio & alibi. De religione, ac cultu Dei, vide meas Diſſertationes ad præcepta primæ tabulæ titulo de religione, ac ſacrificijs, & lectione ultima Lucernæ Propheticæ.

XVIII. יסוד Jeſod. Fundamentum. Hic agere oportet de æternitate, immutabilitate Dei. De æternitate vide Dionyſium de Divinis Numinibus 9. Auguſtinum in Confeſſ. Niſſenum contra Eunom.

nom.

nom. Petavium Theologic. dogmatum tom. 1. l. 3. cap. 3. D. Thomam 1. part. quæſt. 10. Thomaſſinum de Deo, & alios in principio citatos. De immutabilitate vide D. Thomam pr. part. quæſt. 9. Chriſoſt. de incomprehenſibili Natura Dei. Magiſtrum Sent. in primum diſt. 8. Vide etiam Expoſitores in cap. novit. de pœnitentijs, & remiſſionibus.

XIX. מלכות Malchuth Regnum. Regnum Dei regnum omnium ſæculorum, ut inquit Propheta, perpetuum, ſtabile, firmum, imperturbabile, beatiſſimum. Vide Expoſitores ſacros ad hunc locum, & etiam ad pſalmum Dominus regnavit decorem indutus eſt; in quo pſalmo poſſunt per omnes ſephiras Deo laudes attribui. De viſione, amore, fruitione Dei. Vide Auguſt. lib. 22. de Civit. Dei, Gregorium Magnum 18. Moral. cap. 28. Ephiphanium adverſus hæreſes, hæreſi 70. Irenæum lib. 5. cap. 3. Hieronymum 2. contra Jovinianum. Vide etiam Jodocum Coccium in theſauro Catholico. Theophilum Raynaudum in Theologia, & morali ſcientia. Vide D. Thomam opuſc. de Beatitudine, & pr. parte quæſt. 12. Magiſt. Sent. in pr. diſt. pr. Vide Alphonſum de Caſtro adverſus hæreſes, & omnes Theologos Scholaſticos copioſiſſimè de hac materia agentes.

SS.TRI-

SS. TRINITAS.

XX. Nunc eſt de SS. Trinitate agendum, & quoniam Divinæ perfectiones omnibus Perſonis communes ſunt, non eſt opus, ut hic iterum Sephiras repetamus, præcipuè quia jam adverſus Judęos oſtenſum ſit eos poſſe primis tribus ſupremis Sephiris, de Trinitatis exiſtentia convinci, cum eas primas appellent, & ſedem unam. Nunc tantum breviter aliquos auctores afferemus, qui eorum ſtudium adiuvare poſſint, qui in Tractatu SS. Trinitatis ſe velint exercere.

XXI. De Trinitatis exiſtentia adverſus Judęos. Vide Galatinum de arcanis Catholicæ veritatis. Paulum Burgenſem in ſcrutinio ſcripturarum. Danielem Huetium in ſua demonſtratione Evangelica, & in concordia rationis, & fidei. Videndi etiam ſunt textus, qui ex antiquo Teſtamento afferri ſolent in Bibliis Complutenſi, Regia, & Poliglota.

XXII. De Hæreticis, qui Trinitatis dogma oppugnarunt. Vide Petavium Eccl. dogmatum tom. 2. cap. 6. Vide integrum tomum, cui titulus eſt Hæreſiologia. Vide Jodochum Coccium in theſauro Catholico titulo Trinitas. Vide etiam Alphonſum de Caſtro adverſus hæreſes. Vide D. Epiphanium adverſus Hæreſes.

XXIII. Trinitatis Myſterium fundamentum Chri-

Chriſtianæ Profeſſionis eſſe probat Petavius tom. 2. Eccleſiaſt. Dogmatum cap. 1.

XXIV. De unitatis Divinæ magnitudine, opulentia univerſitate dilatatione in tres Hypoſtaſes vide Tomaſſinum de Trinitate cap. 4. & cap. 21. ubi latè probat, quod omnia tendant ad ſimilitudinem primi principii.

XXV. An antiquis Philoſophis illuxerit fides, vel doctrina Trinitatis Vid. Tomaſſinum de Trinitate cap. 34.

XXVI. De Perſonarum diſtinctione, & æqualitate. Vid. Gregorium 9. in cap. firmiter de ſumma Trinitate, & fide catholica. Fulgentium, Hilarium, D. Auguſtinum, & Theologos in 1. ſent. & in pr. part. D. Thomæ.

XXVII. De Nominibus Perſonæ.. Hypoſthaſis, Uſiæ, Subſiſtentiæ. Vid. Gisbertum, in organo novæ Theologiæ.

XXVIII. De Perſonis in particulari. Vid. Auguſtinum, Riccardum, Anſelmum, & Expoſitores Magiſtri Sentent. D. Thomæ. Et Canoniſtas in cap. firmiter. Item Concilii Nicæni, Epheſini, Chalcedonenſis, Conſtantinopolitani, Florentini acta.

XXIX. Cur non plures, quam tres Perſonæ; vide Fulgentium de Trinitate, Anſelmum in Monologio, ubi reſpondent, quod cognitione Patris omne verum; & amore Patris, & Filii omne bo-

num exhauſtum eſt, ideò nihil ſupereſt quod illi, aut Spiritus Sanctus poſſint ad intra in Trinitate producere.

DE CHRISTO DEI FILIO SIVE DE VERBO INCARNATO.

XXX. Hic prius per omnes ſephiras diſtribuemus veteris, & novi fœderis teſtimonia, quæ ad illum referuntur, & exponuntur ab Eccleſiæ Catholicæ Doctoribus.

XXXI. Ad כתר Keter Jeſus, principiũ & finis. Gen. cap. 1. verſ. 1. Pſal. 101. verſ. 26. & ſeqq. Pſal. 109. verſ. 3. Prov. 8. v. 22. Eccleſiaſt. 24. v. 14. Iſaiæ 41. v. 4. Iſaiæ 43. v. 10. Iſaiæ 44. v. 6. Iſaiæ 48. v. 12. Joann. 1. v. 1. & 2. Joann. 8. v. 25. Ad Rom. cap. 10. v. 4. ad Coloſs. cap. 1. v. 18. & ſeqq. Ad Hebr. cap. 1. v. 8. Apocalipſ. 1. v. 8. & 17. Apocalipſ. 3. v. 14. Apoc. 21. v. 6. Apoc. 22. v. 13.

XXXII. Jeſus novi, & æterni fœderis à Deo cum hominibus initi ſequeſter, & finis. Pſal. 88. v. 4. 29. & ſeqq. Eccli. 17. v. 10. Eccleſiaſt. 45. v. 31. Iſaiæ 42. v. 6. & 7. Iſaiæ 49. v. 8. & 9. Iſ. 55. v. 3. & 4. Iſaiæ 61. v. 8. & 9. Jeremiæ cap. 31. v. 31. & ſeqq; Ierem. cap. 32. v. 40. Ierem. cap. 50. v. 5. Baruch. cap. 2. v. 35. Ezech. cap. 16. v. 60. & 62. Oſeæ cap. 2. v. 18. Zacch. cap. 9. v. 11. Ma-

Digitized by Google

Malach. 3. v. 1. Matth. 26. 27. 28. Luc. cap. 1. v. 72. 73. Act. 3. v. 25. Ad Rom cap. 11. v. 25. 2. ad Corinth. cap. 3. v. 5. & 6. Ad Galat. cap. 3. v. 15. Ad Galat. cap. 4. v. 24. Ad Epheſ. cap. 2. v. 12. & 13. 1. ad Timoth. cap. 2. v. 5. ad Hebr. cap. 7. v. 20. Ad Hebr. cap. 8. v. 6. Ad Hebr. cap. 9. v. 15. Ad Hebr. cap. 10. v. 28. & 29. Ad Hebr. 12. v. 22. Ad Hebr. 13. v. 20.

XXXIII. Jeſus Caput Pſal. 17. v. 44. Pſal. 117. v. 22. Matth. cap. 21. v. 42. 1. ad Corinth. cap. 11. v. 3. Ad Epheſ. cap. 4. v. 15. & 16. Ad Eph. cap. 5. v. 23. Ad Coloſs. cap. 1. v. 18. & cap. 2. v. 10. 18. & 19.

XXXIV. In Jeſu omnia condita Pſal. 32. v. 6. Pſal. 103. v. 24. Proverb. cap. 3. v. 19. & 20. Proverb. cap. 8. v. 27. & ſeqq. Sapientiæ 9. v. 9. Ieremiæ cap. 10. v. 12. Ioann. cap. 1. v. 3. Ad Epheſios cap. 2. v. 10. Ad Epheſ. cap. 3. v. 11. Ad Coloſs. cap. 1. v. 15. Ad Hebr. cap. 1. v. 2.

XXXV. Jeſus fons Pſal. 35. v. 10. Eccl. cap. 1. v. 5. Iſaiæ 11. v. 9. Iſaiæ 12. v. 3. Iſaiæ 35. v. 6. & 7. Iſaiæ 44. v. 2. & 3. Iſaiæ 49. v. 10. Iſaiæ 55. v. 1. Iſaiæ 59. v. 19. Iſaiæ 65. v. 13. Jerem. cap. 2. v. 13. Jerem. cap. 17. v. 13. Ezech. cap. 36. v. 25. Ezechiel. cap. 47. v. 8. & ſeqq. Joel cap. 3. v. 18. Zacchar. 13. v. 1. Zacch. cap. 14. v. 8. Ioann. cap. 4. v. 13. Ioann. cap. 6. v. 35. Ioann. cap. 7. v. 37. & 38. Apocalipſ. cap. 21. v. 6. Apoc. cap. 22. v. 1. & 17.

Digitized by Google

XXXVI. Jeſus Princeps. Iſaiæ cap. 9. v. 6. Ierem. cap. 30. v. 2. Ezech. 34. v. 23. & 24. Act. cap. 5. v. 30. & 31. Ad Coloſs. cap. 1. v. 17. Ad Coloſs. cap. 2. v. 11. Apocalip. cap. 1. v. 4. & 5.

XXXVII. Jeſus Dominus Rex æternus Geneſ. cap. 49. v. 10. 1. Reg. cap. 2. v. 10. 2. Reg. cap. 7. v. 12. & 13. Pſalm. 2. verſ. 6. Pſal. 21. v. 29. Pſal. 23. v. 7. Pſal. 44. v. 5. & 7. Pſal. 46. v. 1. Pſal. 71. v. 1. Pſal. 73. v. 12. Pſal. 88. v. 28. Pſal. 109. v. 1. Pſal. 9. v. 6. & 7. Iſaiæ 9. v. 6. & 7. Iſaiæ 11. v. 1. 4. & 10. Iſaiæ cap. 16. v. 1. Iſaiæ 32. v. 1. Iſaiæ 40. v. 10. Iſaiæ 49. v. 7. Ieremiæ cap. 23. v. 5. Ierem. cap. 30. v. 8. & 9. Ierem. 30. v. 21. Ierem. 33. v. 17. Ezech. 37. v. 22. Daniel. 2. v. 44. Daniel. 9. v. 13. Oſeæ cap. 3. v. 5. Micheæ cap. 4. v. 2. Zacch. cap. 6. v. 12. & 13. Zacchar. 9. v. 9. Malachiæ cap. 3. v. 1. Matth. cap. 2. v. 1. Matth. 16. v. 17. Matth. 21. v. 4. & 5. Matth. 25. v. 31. Matth. 27. v. 11. Marci cap. 15. v. 2. 9. & 12. Lucæ cap. 1. v. 32. & 33. Luc. 19. v. 37. & 38. Luc. 22. v. 29. & 30. Ioann. cap. 1. v. 49. Ioann. 12. v. 13. Ioann. 17. v. 1. & 2. Ioann. 18. v. 36. & 37. Act. cap. 2. v. 33. Act. 10. v. 36. Act. 17. v. 7. Ad Rom. cap. 14. v. 9. ad Rom. cap. 15. v 8. 1. ad Corinth. cap. 2. v. 8. 1. ad Corinth. cap. 15. v. 24. & 25. ad Epheſ. cap. 1. v. 19. ad Epheſ. cap. 5. v. 5. ad Coloſs. cap. 1. v. 12. & 13. 2. ad Timoth. cap. 4. v. 1. ad Hebr. cap. 1.

v. 2.

v. 2. ad Hebr. cap. 2. v. 9. ad Hebr. cap. 7. v. 1. 1. Petri cap. 4. v. 11. 2. Petri cap. 1. v. 11. Iudæ Epiſt. v. 4. Apoc. cap. 3. v. 21. cap. 11. v. 15. cap. 12. v. 5. & 10. cap. 17. v. 14. cap. 19. v. 11. 12. & 15.

XXXVIII. חכמה Chocma. Jeſus Sapientia Proverb. cap. 8. v. 12. Sapient. cap. 7. v. 21. Sap. cap. 9. v. 9. Eccl. cap. 1. v. 5. Eccl. cap. 24. v. 1. Matth. cap. 11. v. 19. Lucæ cap. 11. v. 49. 1. ad Corint. cap. 1. v. 23. & 24. 1. ad Corinth. cap. 1. v. 30. ad Coloſs. cap. 2. v. 4.

XXXIX. Jeſus Propheta Deut. cap. 8. v. 15. lib. 1. Macchab. cap. 14. v. 41. Matth. cap. 10. v. 16. Marci 13. v. 9. Lucæ 12. v. 11. Matth. 12. v. 39. & 40. & iterum 13. v. 57. 16. v. 21. & ſeqq. 17. v. 21. Ioann. 2. v. 19. & ſeqq. denuò Matth. 21. v. 11. item v. 43. & ſeqq. cap. 24. v. 1. & ſeqq. Marci 13. v. 1. & ſeqq. Lucæ 17. v. 20. & ſeqq. Iterum Matth. 26. 13. cap. 26. v. 31. & ſeqq. Marci cap. 16. v. 17. & ſeqq. Lucæ 7. v. 16. Iterum cap. 7. v. 39. item 13. v. 33. cap. 19. v. 41. & ſeqq. cap. 24. v. 19. Ioann. cap. 4. v. 19. Iterum 6. v. 14. cap. 6. v. 71. & 72. Item cap. 7. v. 40. cap. 9. v. 17. denuò 10. v. 16. & cap. 13. v. 19. cap. 16. v. 16. cap. 16. v. 20. & ſeqq. Tandem cap. 18. v. 32. & cap. 21. v. 17. & 18. Act. cap. 1. v. 8. & cap. 3. v. 21. & ſeqq.

XL. Jeſus mittit Spiritum Sanctum Iſaiæ 32. v. 15. iterum cap. 44. v. 3. & cap. 59. v. 21. Ezech.

36. v. 26. & 27. item cap. 39. v. 29. Ioel 2. v. 28. & 29. Lucæ 24. v. 49. Ioann. 7. v. 37. & ſeqq. item 14. v. 16. & ſeqq. cap. 15. v. 26. cap. 16. v. 7. & ſeqq. & cap. 20. v. 22. Act. 1. v. 4. & ſeqq. Iterum Act. cap. 2. v. 1. & ſeqq. cap. 8. v. 15. & ſeqq. Item Act. 10. v. 44. & 45. ad Rom. cap. 5. v. 5. & 1. ad Corinth. cap. 2. v. 12. & 13. Item 1. ad Theſſalon. cap. 4. v. 8. Iterum 1. ad Corinth. cap. 3. v. 16. ad Galat. 4. v. 6. & 1. Ioann. cap. 4. v. 13.

XLI. בנה Bina. Concionator, Doctor, Magiſter. pſal. 2. v. 6. pſal. 21. v. 23. & pſal. 39. v. 10. & ſeqq. Iſaiæ cap. 2. v. 3. cap. 30. v. 19. & 20. item cap. 50. v. 4. & 10. cap. 52. v. 6. & 7. cap. 55. v. 4. & cap. 61. v. 1. & ſeqq. Ioelis cap. 2. v. 23. Michææ cap. 4. v. 2. Nahum cap. 1. v. 15. Matth. cap. 4. v. 17. & 23. Marci 1. v. 14. & ſeqq. & cap. 1. v. 21. & 22. Iterum Matth. 8. v. 19. & Marci 9. v. 13. & 37. & alibi ſæpè. Denuo Matth. 23. v. 10. cap. 26. v. 55. & Ioann. 18. v. 20. Lucæ cap. 2. v. 46. & 47. cap. 4. v. 16. & ſeqq. cap. 5. v. 5. & cap. 23. v. 5. Ioann. 1. v. 38. cap. 3. v. 1. & 2., & cap. 13. v. 13. & 14. Act. cap. 10. v. 36. & ad Hebr. cap. 2. v. 11. & 12.

XLII. Jeſus Paſtor, pſal. 94. v. 7. Iſa. cap. 40. v. 10. & 11. & cap. 53. v. 6. Ieremiæ 31. v. 10. Ezech. 34. v. 11. & ſeqq. Item Ezech. cap. 37. v. 24. Mich. cap. 2. v. 12. Zach. cap. 13. v. 7. Matth. cap. 25. v. 32. & 33. & cap. 26. v. 31. Marci cap. 14. v. 27.

Ioann.

Digitized by Google

Ioann. cap. 10. v. 11. & ſeqq. Hebr. 13. v. 20. 1. Petri cap. 2. v. 25. item cap. 5. v. 4.

XLIII. גדולה Gedulà Jeſus Miſericors. Iſaiæ cap. 42. v. 1. & ſeqq. cap. 50. v. 5. & cap. 53. v. 7. & ſeqq. Ieremiæ cap. 11. v. 9. Matth. cap. 9. v. 13. & cap. 12. v. 7. cap. 9. v. 36. Marci 6. v. 34. Item Matth. 11. v. 29. & 30. & cap. 12. v. 15. & ſeqq. cap. 14. v. 14. cap. 15. v. 32. & Marci cap. 8. v. 1. & 2. Iterum Matth. 20. v. 34. cap. 26. v. 62. & 63. Marci cap. 1. v. 41. Lucæ cap. 7. v. 13. 2. ad Corinth. cap. 10. v. 1. ad Hebr. cap. 2. v. 17. 2. Petri cap. 2. v. 23.

XLIV. Jeſus Agnus, Paſcha, Ovis. Exodi cap. 12. v. 43. & ſeqq. & Numer. cap. 9. v. 9. & ſeqq. Iſaiæ cap. 16. v. 1. & cap. 53. v. 7. Ierem. 11. v. 19. Ioann. cap. 1. v. 29. & ſeqq. Item Ioann. cap. 19. v. 31. & ſeqq. Act. cap. 8. v. 27. & ſeqq. 1. Corinth. cap. 5. v. 7. 1. Petri cap. 1. v. 18. & 19. Apocalipſ. cap. 2. v. 6. & ſeqq. & ſæpiſſimè in reliqua Apocalipſi.

XLV. גבורה Geburà. Jeſus peccati hominū Judex pſ. 44. v. 4. & ſeqq. item pſ. 71. v. 1. & ſeqq. & pſ. 97. v. 8. & 9. Iſaiæ cap. 2. v. 3. & 4. & Mich. 4. v. 2. & 3. Item Iſaiæ 11. v. 1. & ſeqq. cap. 13. v. 9. & ſeqq. cap. 33. v. 22. cap. 42. v. 1. iterum Iſaiæ cap. 49. v. 25. cap. 51. v. 5. & cap. 66. v. 15. & ſeqq. Ierem. cap. 23. v. 5. & 6. Ezech. cap. 34. v. 17. & ſeqq. Dan. cap. 7. v. 9. & ſeqq. Ioel cap. 2. v. 1. & ſeqq. Mich.

cap.

cap. 4. v. 1. & ſeqq. Soph. cap. 3. v. 8. Matth. cap. 9. v. 2. & ſeqq. Marci cap. 2. v. 3. & ſeqq. item Matth. cap. 16. v. 17. & 19. & cap. 18. v. 18. cap. 16. v. 27. Marci 8. v. 38. Iterum Matth. 25. v. 31. & ſeqq. Ioann. cap. 5. v. 22. & ſeqq. cap. 8. v. 3. & ſeqq. Act. cap. 10. v. 42. item cap. 17. v. 31. Rom. 14. v. 10. 2. ad Theſſ. cap. 1. v. 7. & ſeqq. 2. ad Timoth. cap. 4. v. 8.

